

2

+

PROSPERI ALPINI  
MAROSTICENSIS R950  
MEDICI

DE BALSAMO DIALOGVS.

IN QVO VERISSIMA BALSAMI  
planta, opobalsami, carpobalsami, & xilobalsami  
cognitio plerisq; antiquorum atq; iuniorum  
medicorum occulta nunc elucescit.

AD ILLUSTRIS. ET SAPIENTISSIMOS  
PATAVINAE ACADEMIAE CVRATORES.



VENETIIS.

---

*Sub Signum Leonis, M. D. XCI.*

PROSPERI ALPINI  
MAROSTICENSIS  
MEDICI  
DE BALSAMO DIALOGYZ.

IN QVO URRHVM BALSAMI  
pinae, opobalsam, capivi, casii, & alibi  
cognita piceis, quibusdamque insperatis  
medicamentis, et aliis chymis  
AD ILLUSTRISS. ET SAPIENTISSIMOS  
PATAVINAE ACADEMIAE CENSORES



VENETIIS.  
Sub Signaturae Locum, AN. D. MDCCL.



ILLVSTRISSIMIS  
AC SAPIENTISSIMIS  
SENATORIBVS

FRANCISCO PRIOLO  
DIVI MARCI PROCVRATORI,  
ZACHARIAE CONTARENO,  
AC LEONARDO DONATO  
EQVITI

*Patauina Academia Curatoribus.*



PROSPER ALPINVS. S. D.



*ANTAE* laudis Senatores Illu-  
strissimi, balsami plantam apud an-  
tiquos, iunioresq; medicos fuisse le-  
gimus, ut eius oleum seu succus,  
(quē opobalsamum Graeci appellant)  
in toto terrarum orbe, ut diuinum  
quodam auxilium habitus atque celebratus fuerit. Vul-  
gus etiam rem aliquam vehementer ad sanitatem ac-

a 2 com-

commodatam, balsamum vocare solet. Et quidem nihil in vniuersa simplicium medicamentorum sylua præstantibus, & dignius inueniri proditum est: neq; id hercle immeritò. Quibus enim in arte medendi versatis ad vlcera, vulneraque sananda illius virtus est ignota? quantum lethali bus venenis, scorpionumque ictibus, & viperarum morsibus obsistat? Quibus etiam huius succi nobilitas, in peste, pestiferisque febribus arcendis mira efficacia est occulta? quandoquidem regum corpora eo olim imputria seruari multorum testimonio constat. non ne putridæ febres sæpe sunt hoc adempta præsidio? Quid? non ne ex balsamo hominis corpus à cute ad viscera usque iuuari experientia docuit? Mulieres eo sibi illitam faciem pulcherrimam efficiunt, obortasque in cute rugas abigunt. Atque hinc iuuentutem diu seruari vulgatissimum est. Et ut paucis rem colligam, ac perstringam, caput, stomachum, hepar, lienem, mesenterium, pulmones, renes, vesicam, uterum, spinam, nervos, musculos, articulosque omnes plurimum iuuat: Etenim obortam oculorum caliginem abstergit, visumque vitiatum, vel deperditum restituit; aures dolentes & in ipsis tinitum sanat. Præterea conuulsis, epylepticis, vertiginosis, resolutis atq; trementibus mirum in modum prodest: tum respirandi difficultati, tussi, orthopnææ, pulmonum frigiditatibus, fluxionibus, & doloribus subuenit. Stomachi calorem valde fouet,  
auget

auget, atque roborat, & iccirco eius cruditatibus, ac flatibus à diminuto calore excitatis presentaneum est auxilium. Meseraicarum vero à iecore, ac liene venarum obstructions aufert, regiumque morbum curat. Interceptam sepe urinam prouocat, calculosque valenter frangit, & ipsos à renibus abstergit, atque per urinam expellit. Uterum magis, quam cetera membra respicit, atque omnibus eius à frigiditate abortis malis presentantissime succurrit; Menses cit, partus: secundasque educit, praefocationibus & flatibus tuto medetur. Et quod non minus à multis desiderari, atque ex peti solet, feminam ipsam ex causis effectam sterilem, fecundam reddit. Cumque tam eximia balsami dotres existant, ab antiquis etiam praeclearissimis medicis olim memoriae traditae, mirum non est tantopere Romanis Imperatoribus Vespasianis curam eam arborem extitisse, eiusque causa ab ipsis cum Iudeis aliquando dimicatum fuisse. Maximum usum in medicina habuisse succum, fructus, ac ligna apud omnes liquido constat. Perficit enim multorum antidotum compositiones, praesertimque Theriacam, atque Mithridatium, quae à nostris eo sublato, non sine artis dedecore parantur. Cum haec aliquando hic inueniri posse ignorent, audacissimeque oblatum sepe ipsis huius arboris verum succum, fructus & ligna, vera esse negent. Non possum igitur non multum presentem balsami calamitatem cum huiusce temporis

medicis dolere; cum & si in multa Italiae loca ex Aegypto, ac Syria huiusce planta succus, fructus, lignaque nunc verè comportentur, hac tamen agnoscere nostri medici renuunt. quinimo plerique affirmant hoc tempore veram balsami plantam nusquam gentium inueniri, minimeque eius succum, fructus, & virgas (quae opobalsamum, carpobalsamum, & xilobalsamum Graeci appellant) ad nos veras comportari. Atque horum alij asserunt fieri quidem non posse, ut veri opobalsami, aetatis, cuius quantitas non pauca saepe in his locis circumfertur, inueniatur, cum Aegypto, ac Syria balsami plantis omnium consensu nunc careant. quando etiam priscis saeculis ex tota Aegypto multis ysdem plantis referta modicum quippiam illiusce liquoris haberetur. Alij ex Faelici Arabia huc illum delatum scientes syncerum esse opobalsamum negant, asserentes solum Aegyptum, ac Syriam illum olim habuisse, neque alibi inuentum plantarum scriptores prodidisse. Hisque rationibus persuasum est eis syncerum opobalsamum his temporibus non reperiri, quod si aliquando sibi à quibusdam ex Aegypto, vel Syria venientibus offeratur, eos inidentes negant verum esse, atque à se reijciunt; & in parandis Theriaca Mithridatio, & alijs nobilissimis compositis eo haudquaquam uti volunt. Quod ego cum mea quidem sententia pessime, ac non sine artis magno dedecore ab ijs factum iudicauerim, cumque ad nos legitimum  
succum

siccum arboris, quæ à priscis herbarijs balsamus appellata  
est, ligna atque fructus ex pluribus locis asportari certo  
sciam, non potui non summopere istorum ignorantiam,  
ac errorem summum admirari, & huius eos erroris ad-  
ductis rationibus redarguere, cum præsertim medicos om-  
nes Aegyptios, Arabes, & Syrios eundem succum,  
fructusque eosdem, atque eadem ligna uno omnium con-  
sensu citra ullam contradictionem, vel hesitationem in  
componenda Theriaca, Mithridatio, alijsque nobilibus  
antidotis, commendare, atque arripere cognouerim: qui  
alium unquam fuisse opobalsamum, neq; alios fructus,  
aut alia ligna ad medicinæ usum recepta, atque apud il-  
los usitata affirmant. An verò quis Aegyptijs, Sy-  
ris, & Arabibus in eorundem medicamentorum cogni-  
tione, usu, & experientia preferendos contendet Italos  
nostros? qui neque locum in quo arbusculum vixerit, ne-  
que alibi illum viuere inspexerint? an potius illis cre-  
dendum erit, qui in eodem loco cum istac planta multos  
annos vixere, & illam sepe sepius tum viderunt, tum  
sedulo obseruarunt? Quando etiam primi Baleisan plan-  
tam eam nominarint. Quo nomine alij omnes & Græ-  
ci & Latini libentissime vsi sunt. Cum igitur illi Ita-  
lis, caterisque omnibus nationibus in huiusce plantæ suc-  
ci, fructuum, & virgarum cognitione iure preferantur  
atque hæc vera ab ipsis credantur; & pro legitimis, ac  
veris ad omnia componenda medicamenta vtantur,

suc-

succumque ex Aegypto, vel Syria huc aduectum, nobisque interdum oblatum uerum opobalsamum esse affirmant: Cur et nos iisdem uti, atque in medicinae usum eadem recipere recusemus, potiusquam aliud pro ipsis ad componenda medicamenta substituere? Hincque multi mirari non debent si Theriaca, Mithridatiumque; huiusce temporis antiquam amplius illam praestantiam, ac nobilitatem non retineant, neque eximiae uires à seniore Andromacho decantatae conferuentur.

Hac fidens estu per rura vagabere Cæsar

In Lybico quamuis progrediare solo.

Quis enim medicorum erit, qui à viperis, Aegyptijsque cum aspidibus, tum scorpionibus, vel ab alijs huiusmodi serpentibus demorsos sola Theriaca vel Mithridatio curare hac ætate confidat? vel horum spe aconium, vel napellum, vel toxicum innoxie assumere audeat? Unde est, quod Theriaca vel à nostris omni cura, ac diligentia confecta magnis illis careat omnino dotibus? Nisi quia antidotum hoc multa desiderat ingredientia, quibus antiquis illis temporibus parabatur. Inter quæ principem sanè locum obtinent opobalsamum, carpobalsamum, atque xilobalsamum, quorum loco nostri pharmacopolee alia medicamenta substituunt. Quamobrem multi Aegyptiacam Theriacam longe praestantiorẽ predicant, quod uera ac recentia nuper dicta medicamenta in eius compositione recipiantur. Id igitur ego,  
cum

cum in Aegypto aliquot annos medicina causa moratus, animaduertissem, vereq; cognouissem vera illa medicamenta ad nos ex ijs locis non raro asportari, quae à nostris non sine componendorum medicamentorum ingenti iactura ab usu medicinae reijciuntur, falsaque vel adulterata esse dicuntur. Deceui veritatis cognoscendae studio, de balsami planta, succo, fructibus, & virgibus, quae sunt ad medicinae usum à veteribus medicis litteris tradita, atque nunc apud nostros ferè obsoleta, librum olim in Aegypto conscriptum, quo omnium istorum cognitio comprehenditur vobis Illustrissimis, ac Sapientissimis viris legendum ac spectandum dicare; Ex quo balsami veritate perspecta ac cognita operam detis, ut haec praecleara medicamenta uestra omnium opera, ac auctoritate ab omnibus medicinae amatoribus dignoscantur, atque in pristinum medicinae usum reuocentur. Anno salutis humanae. M. D. XC.



PROSPER ALPINVS

LECTORI.



**M**ULTOS abhinc annos in Aegypto  
medicinæ causa moratus, nonnul-  
los libros de illiusce gentis tum vfi-  
tata medicina, tum plantis conscri-  
pseram; præsertimq; de balsamo dia-  
logum, ex quo arboris, succi, fru-  
ctuum, virgarumq; veritas hæcenus  
plerisque medicis, & pharmacopolis obscura, cognosce-  
retur, claraq; elucesceret. Quos omnes sanè libros  
simul in lucem prodere cogitabam. At hortatu quorun-  
dam amicorum, qui me aliorum librorum editionem  
non ita breui tempore publicaturum putarent, senten-  
tiam mutavi, maximeq; nonnullis doctissimis pharma-  
copolis obnixè suadentibus, qui Theriacam, Mithrida-  
tiumq; nunc paraturi ab Excellentissimo huius inclytæ  
urbis medicorum Collegio veri opobalsami, carpobal-  
sami, & xilobalsami veritatem, & historiam agnosci exo-  
ptant, vt his ad prædicta paranda medicamenta atque  
alia libere vti possent. Non immeritò Theriacam Mi-  
thridatiumq; his ablatis ab antiqua sua excellentia non  
parum

parum deficere dubitantes. Ne itaque istorum desiderio me obsequi nolle videar, libellum hūc prius emittere non sum veritus. Hancq; huius celeris editionis causam Candide lector veram esse putato. Interim libros alios de medicina Aegyptiorū vocatos ( si modo hunc meum libellum medicinæ studiosis aliquo pacto arrisisse intellexerim ) propè diem in lucem venturos expectabis. Tuque etiam quo animo ego balsami disputationem hanc veritatis tantum agnoscendæ studio, atque iuandi desiderio sum profecutus, eodem legendam accipies.  
Vale.



BALSAMI  
RAMVM.





PROSPERI ALPINI  
MAROSTICENSIS  
MEDICI  
DE BALSAMO DIALOGVS.



DE BALSAMI PLANTA,  
*succo, fructibus, & virgis esse loquen-*  
*dum.* Cap. I.

ABDELLA Medicus Aegyptius, ABDACHIM Hebreus,  
& ALPINVS Italus.



QVEM ego nunc hominem conspi-  
cio per hoc viridarium el Mattharia  
gressus mouentem? is certe meis ocu-  
lis Abdachim Medicus videtur, vir  
honestissimis moribus (quamuis He-  
breus) praeditus, mihiq; multum fa-  
miliaris: eum igitur conueniam, &  
salutabo. Salue Abdachim, Quam diluculo hoc virida-  
rium es ingressus; Quid tibi vero negotij est, vt tam sum-

A mo

## DE BALSAMO

mo mane hic te recipias. ABDACH. Te nunc hic conuenisse, valde lætor, quando iam diu te exoptauerim videre, ac tecum colloqui, Tibi optata hæc sit dies, Ego vt viridarij huius amœnitate, suauissimoq; florum cassiarum odore, aurâq; matutina frigidiuscula me aliquantum recrearem huc accesseram. ABDEL. Cur vero viridarij istius plantas vndiq; obseruas, neq; te humi stratum sub ficus huius Aegyptiæ latissimis ramis conspicio, vt quietius ira tum animum, tum etiam corpus recreares. ABDACH. Oculos hinc inde dimouebam, si aliquam balsami plantam viuentem potuissẽm inspicere, cuius odore eximio olfactu animales spiritus delectassẽm, Quas custodum negligentia exaruisse comperi, quod satis ægropatior, plurimumq; me tedet hoc viridarium illis nunc carere plantis, multumq; ornamentum hac de causa hic deesse videtur. ABDEL. Ne te ob id excrucies, quandoquidem sæpe aliàs aliunde asportatæ, atq; hic insertæ plantæ perierint, quæ nunc fortassẽ, alijs adhuc iussu præfecti aduectis, citò renouabuntur, vt sæpe aliàs factum est. Sed quem video ad nos venientem? An Alpinus Veneti Consulis Medicus? ABDACH. Ipse est, cui nos obuiam ire honestum est, quo humanus hic sanè vir est, atq; affabilis. ABDEL. Quid istud est Alpine, quod nos te hic nunc offendimus? tuus aduentus pluribus de causis est nobis iucundissimus. ALPIN. Viridarium hoc spectandi gratia huc me contuli, vobisq; pro vestra erga me humanitate plurimum debeo, neq; parum gaudeo, quod ambos vos hic offenderim, iam diu enim vos videre desiderabam, nec immeritò cum vos pluribus nominibus tantopere obseruem, Neq; est quod vestram ego nunc in arte medica doctrinam coram extollam, neque quantum à vobis in ea profecerim, vel didicirim. ABDEL.

om

A

DEL.


DEL. Bonus es cum hæc existimas, utcumque res se habeat à te amari nos summopere expetimus. ALPIN. Gratiâ habeo, sed timeo ne importuno meo aduentu iam captos vestros sermones inturbem: eorum tamen & vestræ iucundissimæ consuetudinis si fieri particeps mihi liceret, mirum in modum meus hic aduentus mihi voluptati foret. ABDEL. Gratissimum nobis erit, nunc tecum vir doctissime colloqui, à quo pro tua doctrina plurimum nostros sermones claritatis recepturos sperabimus. ALPIN. Vobis gratiam habeo. Quid istud autem est, de quo sermonem institueratis. ABDACH. De balsami planta quam in hoc viridario aruisse comperi, inter nos commentabamur. Cuius iacturam mihi ægre ferenti Abdella noster in plantarum materia exercitatissimus animum restituit, multas è Mecha olim etiam pluries delatas huc infitasq; fuisse & planè reuixisse narrans, atque etiam hoc modo sæpe balsami plantas renouatas fuisse, ut sperandum sit, nunc etiam præfecti Aegypti iussu ubi ad illius aures harum iactura aliquando peruenerit, de nouo instaurari posse. ALPIN. Quid audio illas plantas huc aliunde fuisse asportatas, eoque modo perpetuò instauratas, quasi Aegyptus illis proprium solum non fuerit, non in sermonem inanem spero me nunc incidisse, de balsamo incaptum: de qua non pauca vobiscum loqui am diu desideravi, quæ si vobis nunc grata fore putarem libenter proponerem. ABDEL. Gratam nobis rem facies si hac de re disputationem aliquam promoueris: ex qua plurimum emolumenti pro tua doctrina, atq; humanitate nos esse consecuturos speramus, proinde quicquid est, quod à nobis scire velis, nunc in medium profer. ALPIN. Multum vobis pro hac re debeo, veterumque Aegyptiorum sapientiam & humanitatem agnosco.

## D E B A L S A M O

Verum ne longius verbis rem producam, de balsami planta, succo, fructibus, lignis nunc vobiscum disputare desidero, quando ego haecenus scriptorum varietate anceps ac dubius fuerim. ABDACH. Neminem Aegyptiorum, vel Arabum esse nunc arbitror nostro Abdella in re plantaria magis versatum: pluribus iisdem plantis ab eo cum hic tum alibi inspectis ac omni studio obseruatis, sed vt de hac re clarius differamus in capita redigere te oportet, de quibus sit sigillatim differendum. Quare istaec omnia nunc in medium profer. ALPIN. Dicendum à vobis primo censeo, an balsami planta hoc tempore alicubi viuat, quando in hoc viridario, in quo haecenus à priscis illis temporibus vsque ad huc vixit, plantè exaruerit; atq; non minus an ab ea collectus succus, fructus, lignaq; ad nos perferantur, vel potius vna cum arbore cuncta perierint. Hæc in primis à vobis enarrari mihi cupio, Quibus cognitis sigillatim de singulis agemus.

*A N B A L S A M I P L A N T A,*  
*eiusq; succus, fructus, ac virga nunc re-*  
*periantur, & quibus locis proue-*  
*niant. Cap. II.*

A B D E L L A.

 VAMPLVRES balsami arbores in multis Arabia locis nunc viuere, quarum succus, fructus, ac virgæ huc ad nos à multis asportantur, certissimum est. Neq; id Aegyptios, Syros, Turcas, & aliarum nationum homines multos, Arabia

biæ loca peragrantes latet, quinimmo omnes annis singulis Mecham, & Medinam primarias Arabiæ foelicis vrbes peregrinationis gratia adeuntes, quantus in illis locis sit ex arbore balsami prouentus, planè fateri possunt.

Nam Mecham hinc euntibus, & ad villam quandam Bedrunia ab his vocatam, quæ distat ab vrbe Cayri spacio dierum quindecim, accedentibus mons pergrandis, arenosus propè eam villam positus continuò conspicitur, balsami innumeris arbusculis refertus, quas ibi Mahemetis propheta miraculo ortas nostrorū multis suatum est; Sed utcumq; ibi natæ fuerint, nobis id sufficiet, omnes ea loca quotannis peragrantes, innumeras ibi viuere comperisse; idque à quamplurimis huiusce vrbis incolis, qui olim & proximo etiam elapso anno ea loca peragrarunt, audire atque verum esse scire poteris. Multis quoque rationibus hæc veritas tibi à me persuaderi possit, sed si huius viridarij balsamis olim multis refertissimi terram aliquando olfeceris, balsami etiam nunc suauissimum odorem redolere senties, bisq; vel ter tantum, Sol suum peragravit orbem, postquam hæc plantæ custodum negligentia periire. At quid taces Abdachim, quem millies hic te illas inspexisse certo scio? vel cur me Italo Medico incredulo veritatem hanc suadentem minimè adiuuas?

ABDACH. Quid? An hunc nostrum sodalem medicum, multos annos hic moratum, plantarumque omnium studiosum hanc veritatem ignorasse dubitas?

Ego certè balsami plantas innumeras diuersis temporibus ex Arabia aduectas, hicque insitas vixisse, certo scio, quas multi etiam alij Cayri incolæ inspexerunt.

ALPIN. Nephas esse, ac inurbanum putarim, tantorum medicorum testimonio non moueri, qui præter herbarum peritiam, in qua illustres apud plerosq; Aegyptios

habiti

## DE BALSAMO

habiti sunt, vna cum balsamo in eadem terra nati, uixerunt. Sed, vt ingenuè fatear, quanquam ego cum viris in medicina clarissimis planè sentiam, huiusq; rei veritatem omnino cognoscam, tamen hæc veritas non adeò, usque quaque mihi satisfacit, vt possim alijs per multis Italiæ, aliorumq; Europæ locorum medicis, atque pharmacopolis incredulis hoc, vt cuperem persuadere, qui absolutè affirmant balsami plantam nullibi hoc tempore reperiri, eamque planè perijsse, ex quo succum, fructus, & virgas hinc in Italiam asportatas falsas etiam esse statuunt. Atque prisca sæculis cum balsamum tantum in Aegypto & Iudea vixisse Dioscorides ac alij prodiderint, quibus in locis nunc eam plantam cum amplius viuere nemo referat, planè omnibus in locis perijsse colligunt. Quam sententiam ipsi peruicacissimè defendunt, neq; omnino care re videntur argumētis, quibus proprium errorem tueantur. ABDEL. Quomodo quæso istud esse potest? tantos ne medicos, doctissimosq; herbarum professores ita obcætos esse, qui non viderint, neque cognouerint balsami plantas neutiquam in suo natiuo solo perijsse? Quod autè Aegyptium ac Iudaicum falsò Dioscorides, atq; alij crediderint ex me paulo post cognosces. Neque optimi illi sunt philosophi, qui ita facile vegetabilium species, quæ iuxta philosophorum placita perpetuæ existunt, tolli omnino posse, putent: Cælo etenim nullis causis ad generationem facientibus nunc destituto, terraq; ac cæteris alijs elementis eodem modo nunc, vt olim, se habentibus, cur terram eandem nunc ferre plantas, vt olim faciebat, non posse dicemus? Graue tibi non sit, quæso, illos, qui balsamum perijsse affirmant, mihi referre, & quibus etiam rationibus in tam falsam opinionem venerint, explicare. ALPIN. Parum interesse arbitror, te hocce  
homin es

## D I A L O G V S.

homines nominatim cognoscere, at ipsorum potius rationes audire, quibus negant hoc tempore balsami arbores, atque ipsarum succum fructus, & virgas apud nos inueniri, id vero inceptæ disputationi sat erit. Horum siquidem non pauci existunt, qui non modo ad nos in Italiam prædicta vera comportari negent, sed arbores quoque, è quibus illa colliguntur prorsus perijsse prædicent. Quam sententiam valde auxere Amatus Lusitanus medicus in alijs non spernendus, & Nicolaus Monardus Hispanus, qui Syriacum atq; Aegyptiacum balsamum perijsse affirmantes aliud genus balsami in Occidentalibus Indijs nasci, prodiderunt. Balsamumq; à Dioscoride Theophrasto, Plinio, ac a multis alijs herbarum antiquis scriptoribus celebratum, ac descriptum eò affirmant perijsse, quod prædictorum antiquorum scriptorum testimonio constet, olim duobus tantum Iudeæ viridarijs cõcessum fuisse, vt inter cæteros Plin. & Theoph. testantur, postea verò quam Iudea à Ptolameo primo Rege Aegypti, ac à Vespasiano deuastata est, balsamum in uallem Hiericum appellatam transplantatum fuisse, ibique vixisse Iustino, Strabone, Solinoq; Polysthore id affirmantibus, statuunt. Et ab Artaxerse Persarum rege primo, ac mox à Romanis Adriano Cæsare rursus tota ea ratione bello euerfa prorsus balsami plantas perijsse. Tandemq; in Aegypto paucas hoc in viridario adseruatas vixisse. Quo in loco non tantum priscais sæculis balsamum vixit, sed multo etiam postea, quasi ad hæc vsq; tempora plantam hanc hic conseruatam fuisse asserant. Nunc vero, à multis, qui hoc tempore Aegyptum peragrarunt hic quoq; demum eam aruisse, confirmatur. Qua hic extincta, cum Dioscorides, alijq; in Iudea tantum, & Aeypto balsamum vixisse prodiderint, cui dubium erit nulquam gentium

cam

## D E B A L S A M O

eam amplius inueniri posse? Ex quo succum, fructus, vir-  
 gas, pro vero opobalsamo, carpobalsamo & xilobalsamo  
 ab Aegypto, vel Syria in Italiam asportata vera esse quo  
 pacto affirmabimus? Meritò igitur hæc omnia falsa nos  
 affirmasse videmur. Hincq; tanta incredulitas, ac per-  
 tinacia inuasit eorum animos, vt potius in erroribus  
 perseuerare, veraque sibiipsis oblata reijcere, quam opi-  
 nionem mutare velint. ABDEL. Vix me continere  
 potui, quin susceptum tuum sermonem interrumperem  
 vsq; adeo animum aduersus illos concitasti meum, nul-  
 lis rationibus, sed meris nugis balsami omnes plantas,  
 perijsse opobalsamumq; etiam carpobalsamum, & xilo-  
 balsamum ad nos inuentum falsum esse asserentes, vt tan-  
 ta illorum impudentia excitus, quasi quid loquar ne-  
 sciam, ac ne differam illis respondere, dico, ac edico tibi  
 balsami frutices neque etiam in Aegypto planè perijsse,  
 dici posse, quando saepe iussu præfecti Cayri, quem Besa  
 appellât, plâta multæ ex felici Arabia delatæ in isto viri-  
 dario inserantur. Et nunc vix tertius agitur annus, cū Mes-  
 sinoris per id temporis Aegypti præfecti iussu, quadragin-  
 ta è Mecha aduectæ, hic insertæ fuerunt, quæ tamen cum  
 per annum vixerint, rursus custodum negligentia perie-  
 re, quæ facillè etiam denuo renouari possunt. In Arabia  
 vero multis locis innumeræ propemodum magno cum il-  
 liusce gentis lucro, aluntur; neq; satis diu est, quod apud  
 Arabes utilitas, & lucrum hoc cognoscitur, etenim opo-  
 balsami quantitas multa in Orientis loca comportatur,  
 quibus in locis eum succum in summo pretio esse, multi  
 ex Arabibus nunc Cayrum habitantibus, narrant. Cu-  
 ius succi lucro ab ijs cognito omnes certatim multas bal-  
 sami frutices ex arenosis, montuosisq; locis in morbida  
 viridaria transferre conantur. Quamobrè ibi innumera  
licet

pulcherrima balsameta cernuntur. Lege tamen ijs populis interdictum est, ne præter ficum quis eam plantam ferere queat, neque succum, vel flores, vel ramulos, vel fructus sine publico mandato quis capiat. Idemq; ibi de balsami arboribus, atq; hic de cassijs solutiuis accidit. Solet etenim hic alicui cassiarum negotium locari, & ideo non licet quenquam cassiam ex arbore capere, vendere, emere, aut emptam aliquo deferre. Quod itidem de balsamo in Arabia locis obseruari, ex Arabum relatione planè constat. At quid illi Aegyptiarum ac Arabicarum plantarum ignari herbarij dicent duobus tantum locis quippè Aegypto ac Syria balsamum olim (Dioscoride, Theophrasto, Plinio, Iustino-que id docentibus) concessum fuisse? quasi aliorum antiquorum scriptorum testimonio non constet in pluribus alijs etiam locis olim huiusmodi plantam vixisse, nonne Diodorus Siculus 2. historiarum libro, in quadam Valle Arabiae balsamum nasci, & non alibi memoriae prodidit? Constantinus vero in lib. de gradib. ait, nasci in India, & Ioseph etiam in lib. 8 de antiq. Iudaicis, Saba Regiam balsami plantam ex Arabia in Iudeam tulisse, Salamoniq; eam dono dedisse, ex qua ibi alia postea plantae propagatae fuere: & Strabo in lib. sua Geograph. 16. hæc scripsit: His proxima est felicissima Sabeorum terra, quæ maxima natio est. Apud hos thuris & myrrha, & cinnamomum nascitur in ora etiam balsamum, & alia quaedam herbula valde odorata. Nec non & Pausanias idè in lib. 9. his verbis confirmavit, dicens: De viperis vero ijs, quæ in Arabia inter balsami arbores versantur diuersum quidè accepi. Id huiusmodi est. Sunt balsami arbores eæ quæ myrthi stirpis magnitudine. Folia illis, qualia herba amaraco. Theophrastus vero in Asia etiam nasci

B prodidit.

## D E B A L S A M O

prodidit. Incolæ quoque Basiliæ montis Libani olim Alexi Græcis imperante in quodam loco illius montis Solis ortui exposito balsami plantas non paucas, è quibus tantum opobalsami suscipiebatur, quantum in Aegypto hic colligi consuetum fuerat, diu vixisse narrant. Ex quibus certe sciri potest olim non solum Aegyptum ac Iudeam, sed etiam foelicem Arabiam, & alia loca balsamum aluisse atque habuisse. Præterea verum quoque hoc esse ex me audies non in Aegyptum ex Iudea, vt aliqui somniarunt, ipsum venisse, sed ex Foelici Arabia semper fuisse delatum: Aegyptiumq; solû veluti neq; Iudaicum, nunquam proprium, ac natium ei fuisse, in his locis balsamum perpetuò peregrinam plantam extitisse haud leue inditium est, eam vbiq; viridaria tantum aluisse, in ipsisq; tantum vixisse, vt Theophrastus, Plinius, Strabo, ac Solinus meminerunt. Plinius enim

» hoc hysce verbis significauit, dicens: Sed omnibus  
 » odoribus præfertur balsamum vni terræ Iudææ concessum  
 » quondam in duobus tantum in hortis vtroque regio, altero iugerum viginti non amplius altero pauciorum.  
 » Theophrastus vero hæc dixit: Balsamum in Valle Syriae prouenit. Eius arbuta duo tantum affirmant, alterum viginti iugerum, alterum multo minus: & Strabo de balsamo vallis Hierici, hæc etiam memoriæ tradidit: Vbi & regia est, & balsami viridarium, quæ arbor aromatica est, & fruticosa Cytiso & Terebintho perfimilis. Quid? nonne omnes obseruant plantas peregrinas in viridarijs tantum ali, ac custodiri, quædam uerò ex patrijs tametsi etiam in viridarijs aliquando seruentur, nihilominus multa alia loca inculta, syluestriaque iisdem sponte natis non carere obseruantur? At peregrinæ in viridarijs tantum magno studio, ac diligentia aluntur

aluntur & conseruantur, quòd in incultis, syluestribus-  
 que locis sponte nasci, neuiquam conspici solent. Hic  
 vero balsami plantam perpetuò aduenam, vel peregrinam  
 fuisse, & perpetuò ex Fœlicis Arabia locis adue-  
 ctam, plures vnà nobiscum Cayrum nunc habitantes  
 certa fide confirmare poterunt, qui omnes plantas, bal-  
 sami quas hætenus hoc habuit viridarium, exinde com-  
 portatas fuisse varijs temporibus obseruarunt. Multo-  
 que labore, ac custodum diligentia vixisse, facileque ex  
 leuissima etiam causa aruisse, quibus arefactis alias rur-  
 sum ab illis locis extractas, hic insertas renouatasque &  
 hoc modo alternatis vicibus balsamum in hoc viridario  
 hætenus conseruatum fuisse. Nemo plantas tanto la-  
 bore ac diligentia in viridarijs adseruatas patrias dicet,  
 quando patriæ vbique sponte nascantur, crescant, ac  
 nullo labore in proprijs locis uiuant. Ex quibus nos  
 planè certi esse debemus balsamum nūquam Aegyptijs  
 ac Syris patrium fuisse, cum in viridarijs ibi multa dili-  
 gentia, ac cura semper fuerit custoditum: quod tamen  
 de Arabia Fœlici, cum balsamum ibi perpetuò uiuat mi-  
 nimè videtur dicendum, nullibi etenim nunc, quòd  
 sciam, huiusmodi planta nisi Fœlici tantum Arabia  
 concessa, reperitur. Quam regionem Diodori Siculi,  
 Strabonis, Pausaniaque testimonio, vt nuper dictum  
 est, constat balsami olim feracem fuisse, quæ eodem  
 modo etiam nunc innumeras eius plantas sponte natas  
 alit. Quam balsami fertilitatem omnes Aegyptij atque  
 aliarum nationum homines annis singulis Mechem Fœ-  
 icis Arabia urbem adeuntes veram planè esse confir-  
 mant. Copiamque ibi opobalsami insignem annis sin-  
 gulis colligi, fructuumque non minus, & virgarum (cum  
 balsami frutices sæpe quotannis putent) quæ ad varias

## D E B A L S A M O

**orbis partes** vendenda ab his demandatur . **ABDACH.**  
 At istæ, quæ tu dixisti, vera esse concedentes, fortasse  
 dicent, quam pro balsamo tu atque nostri Foelicem Ara  
 biam nunc alere inquit, non esse balsamum, sed aliam  
 plantam. **ALPIN.** Notæ huius plantæ ab antiquis scri  
 ptoribus descriptæ ac memoriæ traditæ, istud recte do  
 cere poterunt. Nam omnes conuenisse videntur, (vt  
 ex te spero, me magis distincte cogniturum) balsami  
 plantam fruticem esse, non admodum magnum, fo  
 lijs rutæ proximis, perpetuò virentibus, atque ex sti  
 pitis cortice scarificato liquorem in primis album, o  
 leo similem eximio, acutoque odore præditum, ma  
 nare. **ABDACH.** Millies tecum Abdella fruticem  
 hunc ex Alpino descriptum me inspexisse in hoc ui  
 ridario scio; Verum qui huiusce plantæ notas quæ  
 rat, quibus nam hominibus magis credere debeat,  
 Italis ne, an nobis Aegyptijs, qui unâ cum balsamo  
 in hac ciuitate hæctenus uiximus, eamque arborem  
 sapius in hoc uiridario inspicere potuimus. Nemo  
 certe ita fatuus erit, qui hac de re vobis quam nobis  
 libentius credere, ac fidere maluerit. Hanc uerò plan  
 tam pro vera arbore, quæ ab antiquis balsamus appella  
 ta est, & in posterum memoriæ prodita nostri omnes  
 Arabes hucusque constantissime habuerunt, Aliam  
 que pro balsamo ab alijs monstratam nemo nostrum  
 vpiam offendit, vel uidit, vel aliquem uidisse vnquam  
 audiuit. His addo nomen huiusce plantæ, quod est  
 Balesan à nostris ei fuisse impositum, à quo & Græci b  
 littera carentes, b, in u, mutata *βάρσαμον* dixere, atque  
 ab ipsis Latini Balsamum. Cur igitur Italis magis, quam  
 nostratibus de hac planta credendum erit quando à no  
 stris & Itali, & Græci, vel nomen ipsius plantæ acce  
 ptum,

ptum, didicerint. Quapropter Balsami cognitionem à Dioscoride, Theophrasto atque ab alijs antiquis scriptoribus minimè petendam iudico, sed ab Aegyptijs, & Arabibus, qui loca, in quibus balsami plantæ omnium consensu olim vixerunt, habitauerunt. Si Aegyptij, Arabes, Syri, atque alij omnes Arabica lingua videntes medici citra ullam difficultatem talem fruticem nunc in Fœlicis Arabiae locis cultis, atque incultis, domesticis, atq; syluestribus nascentem tanquam verum balsamum recipiunt, eodemq; tum succo, tum fructibus, tum uirgis, pro uero opobalsamo, carpobalsamo, & xilobalsamo, nemine ipsorum hæsitante ad componenda medicamenta, utuntur: Cur Itali etiam atque alij aliarum nationum medici ab illis, qui magis quam nostri sunt in ea cognitione, eoq; usu, exercitati, ac docti idem facere recusant? Certe indignum facinus est, uos hanc ueritatem non fateri, sed potius quo minus à multis ea dignoscatur, operam dare. ALPIN. Hæc doctissime à uobis prodita fuisse arbitror, ueruntamen quoniam cum medicis, pharmacopolisque incredulis disputatio agitur, quæso si quid aliud apud uos utique sit, quod hanc ueritatem ad huc etiam illustrare possit, ne uos me istud quoque docere, pigeat, ut postea quam ego in patriam Deo concedente, rediero, facilius id incredulis illis hominibus possim suadere. ABDEL. Cum anno à Beatissimæ Virginis partu MDLXXV. Petro Michaele viro Clarissimo, pro Serenissima Veneta Republica consularum hic agente Eunuchus Messir dictus Aegypti Præfectus, Cayri ciuitatis huius quæpiam loca inuiseret, huncq; præsertim locum el Macharia nunc upatum deuotionis gratia (quando hanc in proximam domunculam olim beatissimam Virginem cum puero filio Herodis

## DE BALSAMO

rodis iram fugiendo se recepisse, multosque annos in  
 ea mansisse omnes Aegyptij opinentur, atque ob id hunc  
 locum in summam habeant venerationem) singulis heb-  
 domadis die Veneris is Praefectus, sacrum, veneran-  
 dumque hunc locum visitans, viridarium hoc proxime  
 positum aliquando animi gratia ingressus vidit omnes  
 balsami plantas custodum negligentia aruisse, qua re  
 commotus, ut è Mecha quadraginta plantae afferrentur  
 curavit, eamque operam cuidam militum, ac peregrin-  
 norum duci, Mecham singulis annis deuotionis gratia  
 proficiscentium Haly Bei nomine locauit, qui mihi ad-  
 modum domesticus, atque familiaris fuerat, eumque saepe  
 ex renum calculo pessime aegrotantem inuiseram, ac  
 curaueram, plantasque illas quadraginta praecisis ramis  
 detulit, quae in consueto huius viridarij loco insertae fue-  
 runt, dumque fererentur ego una cum Paulo Mariano  
 eo tempore pro Gallorum Rege Consule medicinae  
 quoque causa mihi familiari, atque cum multis etiam  
 Cayrinis medicis in re plantaria valde exercitatis inter-  
 fui. Ex ipso autem Haly Bei Cayrum reuerso veri opo-  
 balsami binas vntias dono habui, atque ab alio, qui post  
 hunc illud iter confecerat vntias tres. Horrem Bei  
 alius Carauanae peregrinorum dux meus amicissimus,  
 cuius in domo saepe tum ipsius, tum aliorum causa medi-  
 cinam feceram, peregre anno M D LXXX. Mecham  
 profectus, atque sic à me rogatus, attulit multa semi-  
 na, & ramulos eximium odorem spirantes, atque mul-  
 tum opobalsami partim à Seriph Mechaee acceptum,  
 cuius modicam portionem dono dedit Francisco Priu-  
 lo, tunc temporis Cayri pro Veneta Natione Consu-  
 le Clarissimo; & partim ab ijs, quibus balsami nego-  
 tium locatum est, emptum. Postmodum Scander qui-  
 dam

dam & ipse dux militum Medinam Fœlicis Arabiae urbem pro prætore à Bassa missus, mihi non minus quàm alij, medicinæ causa familiaris, atque etiam quia ex Insula Zacintho à Segurorum familia ortum duxerat, balsami recentes ramos fructus, ac succum misit, ac per literas sua manu scriptas, significauit proprijs manibus ibi ea collegisse, quæ omnia apud me adhuc asseruantur. Omnes prædicti nobiles Turcæ vno ore affirmant, prope Mecham, & Medinam, in montibus, planis, cultis, atque incultis locis innumeras balsami plantas sponte natas spectari. plurimasque etiam in arenosis, sterilibusque locis, quæ tamen vel nihil, vel minimum succi producebant. Multa; tamen semina ferunt, quorum multa copia ad nos quoque uendenda mittitur. Quales sunt in monte arenoso apud Bedruniam Villam posito. Nihil hæ, atque aliæ in arenosis, sterilibusque locis viuentes opobalsami ferunt, ideo incolæ eas excerpunt, atque pingui in solo inserunt, fœcundissimasque reddere student. Addunt apud omnes Arabes veterum memorijs constare, passim in pluribus Fœlicis Arabiae locis innumeras sponte nascentes, atque crescentes balsami plantas perpetuò vixisse, nunquamque illa loca ijs caruisse. Non multum temporis tamen esse, cum plurimi eas colere lucri causa cæperint, cum opobalsami facultas ac vires ad quam plurimas Orientis regiones cesserint. Narrant ad huc iisdem omnes Arabes, vti balsami succo, fructibus, ac virgis ad componenda ipsorum omnia medicamenta, atque ad alios medicinæ vsus, quæ eadem planè existunt, quibus Aegyptij Syri ad usum nunc recipiunt, quæque à vobis varia in Europæ loca hinc aduecta, negliguntur, atque reiiciuntur, falsaque eorum multi te auctore pertinaciter, ac inutiliter esse disputant.

## DE BALSAMO

disputant. ALPIN. Ex his quæ te vera dixisse arbitror me non parum pudet, quod cum illis tot annos in tanto errore permanerim, quem ex te nunc probè cognovisse fateor. Cupio igitur plantam hanc suis notis à te quoque describi, in quam attollatur magnitudinè, qualibusque floribus, & fructibus observata à vobis sit, quo pactoque etiam ab ea planta opobalsamum distillet, sponte ne, an, vt multi dixere arte potius elicitem. ABDACH. Hic nullas, quas ego viderim, crescere, flores, vel semina tulisse vnquam spectare potui, etsi succus interim paucus à cortice stipitis scarificato aliquando distillauerit. Verum hac de re Abdellà audiamus, qui hæc exploratius, & reliqua docebit. Interimquæ dum loquimur, mandes velim mancipio tuo, vt no-

bis hic è domo tua ramum plantæ prædictæ

deferat, vt Alpinus noster verum bal-

sami Ichonem videat. ABDEL.

Rectè mones, libenterq; fa-

ciam. ALPIN. Ego

vero utrique ve-

strum mul-

tas hac

de

causa gratias referam. Mi-

hiq; istuc acceptis-

simum sem-

per erit.

PLAN-

## PLANTÆ, QUÆ AB ANTI-

quis Arabia medicis Balesan, à Græcis

βαλσαμον, & à Latinis Balsamum vo-

cabatur, fructuum, succiq; de-

scriptio. Cap. III.

## A B D E L L A.



ALSAMVM arbusculum est, quod cre-  
scit ad altitudinem hanne, vel ligustri, vel cy-  
tisi, folia paucissima gerens rutæ proxima,  
non tamen ijs candidiora, vt Diosc. docue-  
rat, sed potius colore viridi subalbido, perpetuoq; viren-  
tia. Eius lignum gummosum leneque apparet, colore  
exterius sub rubro cuius ramuli eodem colore conspi-  
cui sunt longi, recti, graciles paucis folijs inordinatim  
referti, foliaque simul terna, aut quina, aut septena alæ  
adnata, aliquo pacto etiam lenthisci foliorum æmula.  
sunt ramuli odorati gummosi, digitisque contrectati  
eis tenaciter adherentes. Flores fert paruos albos, aca-  
ciæ proximos, ternos singulis alis appensos, quasi in vm  
bellæ forma, summe odoratos, à quibus semina proma-  
nant, flaua folliculis nigris subrubescens contenta,  
valde odorata, intusque humorem flauum melli perfi-  
mitem habentia, sapore sub amaro, parumque acri lin-  
guam ferientia, opobalsamumque redolentia, Terebin-  
thi fructuum figuræ, & magnitudinis æmula, extrema  
aculeata, & medium crassum obtinentia. Cui descri-  
ptioni maxime quadrare videtur illa quæ fuit à Constā-  
tino Aphricano tradita, quæ his verbis apud ipsum in

C libro

## DE BALSAMO

,, libro de grad. legitur . Balsamus est arbor in India cre-  
 ,, scens saliens super terram mensura vnus brachij, uel  
 ,, parum plus . Cuius rami rubeo viridiq; colore perfusi  
 ,, quasi rami thymali tenues sunt, & colorem viridem ha-  
 ,, bentes . Faciuntq; in capite quasi gemmas paruâq; gra-  
 ,, na in modum piperis producentes . Ex fissuris ramo-  
 ,, rum huius arboris, egreditur quidam liquor in canicu-  
 ,, laribus diebus, sicut lac ex thymalo . Opopalsamum  
 mensibus, Iunio, Iulio, Augusto, partim sponte, & par-  
 tim stipite ferro scarificato, distillat, in vitreaq; vascula  
 recipitur, quod statim eductum, vt audio, colore est al-  
 bo, & paulo post in viridem, tertio in aureum, & de-  
 mum in melleum muratur . Eius succi etiam substantia  
 in primis, turbida crassaq;, vt oleum statim ab oliuis ex-  
 pressum cernitur, postea tenuissima atque clarissima, de-  
 mum terebinthi modo crassescit . Odore eximio in pri-  
 mis atq; acutissimo terebinthum redolens cum suauiori  
 odoris fragrantia obseruatur, saporeq; amaro, acris, &  
 adstringenti . Leuissimum est in primis diebus, atque  
 vsque adeo validi, & acuti odoris, vt aliquibus inter  
 odorandum, sanguis e naribus eruperit, & pramulta  
 eius leuitate in aquam stillatum non desidet, sed ex alto  
 in ea proiectum parumper in ipsa mergitur, fereq; con-  
 tinuo assurgens, supra totam aquae superficiem totum ex-  
 panditur, ei que miscetur, & citissime ita in ea dissolui-  
 tur, vt ab aqua maxima cum difficultate separatum secer-  
 natur . In qua paulo post concreuit, atq; coagulatur,  
 coagulatumque stillo totum ab aqua eximitur, quod  
 tunc colore lactescit, siue album quale lac uiscitur . Quan-  
 to hic succus annosior, eò fit inodoratior, atque ad mo-  
 tum seignior . In primis itaque statim albo colore con-  
 spicitur, qui color paucissimis diebus in viridem, vt nu-  
per

per etiam dixi, mutatur, oleique crassitie cernitur, qui postea longo temporis intervallo depuratur, nonnullis que annis tenuissimus euadit, atque clarissimus, ex viridique colore in aureum splendidissimum transit. Senio vero confectus crassius qualis terebinthina fit, qui si in aqua, vel lacte stilletur, statim confidet, multaque cum difficultate, & non nisi longo tempore denuo supra aquam fertur, tardissimeque in ea diloluitur. Quare non secus quam in animalibus omnibus quatuor constituuntur aetates, quae in ipsis maximam differentiam faciunt, non secus balsami succo, quod opobalsamum dicitur, proculdubio à nostris quatuor tempora tribuuntur. Quandoquidem ille succus ab arboris stipite continuo elicitus usque ad quintum circiter annum acutissimi, validissimi que odoris percipitur, leuissimusque usque adeo obferuatur, ut in aquam stillatus nihil, vel parum confidat, facillimeque diluatur, quod eius calor in annos infantiae plurimus existens ei acutiem atque vehementiam praestet. Crassiori quoque substantia tunc cernitur, & turbida, quod cum multus in eo exuberet crudus humor eo ob calorem in ipso agentem valde agitato, instar urinae turbida quae in pestilentibus febribus fieri solent, & quae ad modum puerorum corpora multa humiditate, atque multo calore praedita crassa, ac ferè tumentia videntur, ita opobalsamum in pueritiae annis constitutum à multa humiditate excrementitia, cum validissimo calore in ipsa agente, crassum, ac turbidum apparet, quod in grandiori aetate ab ea purgatur, tenuissimumque fit, & aureo colore clarissimo spectatur; in quo statu, consistentiae ipsius aetate continuate, conseruatur, posteaque calore eius natio aliquatenus resoluta, ac imminuta, senescens crassum instar terebinthina euadit, solitoque tum odore.

## DE BALSAMO

eximio tum leuitare deficit. Proinde neq; supra aquam enatat, neque multum, & suauiter olet. Hæc q; de balsami planta, fructibus, lignis, succo tibi dicta sufficiant.

**ALPIN.** Quæso ne te pigeat, ad nonnulla adhuc quæ a nostris ballami descriptioni repugnantia proferuntur, respondere, ac satisfacere, quando ea non parum huiusce plantæ cognitam veritatem obscurare, ancipitesq; nos reddere videantur. Antiqui etenim omnes balsami scriptores inter se in illiusce plantæ, succi, fructuum virgarumq; descriptione discrepare videntur, ex quibus non videtur, tutum satis esse illorum cognitionem perquiri debere. Qui fuere in causa, vt nostri ipsorum traditionibus imbuti verum sibi oblatum opobalsamum, fructus, virgas, veras esse non crediderint.

**ABDEL.** Summum semper errorem esse putavi homines plantæ huius, succi, fructuum, virgarumque cognitionem à Dioscoride, Theoph. vel alijs antiquis scriptoribus velle exposcere, quando ista inter eos in scribendo fructice, succo, fructibus, & virgis, diuersitas certissimum ignorantia argumentum nobis fuerit. Ego sum huius sententiæ, neminem illorum fortassè accurate arborem hanc vidisse, ex audituque pleraque de eis ab ipsis litteris prodita fuisse. Olim enim non erat ita facile hominibus loca in quibus balsamum nascebatur, ex longioribus difficilioribusq; nauigationibus, quibus eo tempore antiqui utebantur, adire. atque in illa nauigare, proinde multa Dioscorides, Theophrastus, atque alij multi ex hominum potius relatione, quam ex inspectione de balsamo scripsere.

Hincq; mirum non est si in pluribus nostri ipsorum sententiæ inhærentes decepti sint, quâdo & ipsos à falsis aliorum relationibus deceptos fuisse putandum est. An non Dioscoridem, Theophrastum, atque alios affirmantes.

Balsa-

Balsami plantæ Aegyptum, vel Iudeam patriam fuisse, cum dixerint eam solum in Aegypto & valle Iudea viuere, maximè errasse superius demonstratum est, cum illam plantam ex Aegyptiorum relatione perpetuò ex Arabia foelici in Aegyptum venisse certissimè constet? Ex quibus mirum quoque non esset in alijs eisdem deceptos fuisse, præsertimq; in succi fructuumq; cognitione. Hincque his herbarum scriptoribus omnes medicos pharmacopolasq; planè fidentes errasse mirari non debemus, quando non ab illis, vt etiam dixi, sed ab Aegyptijs, & Arabibus, qui tum primi balsamum cognouerunt, atque obseruarunt, tumetiam cum huiusmodi planta in eodem solo nati sint, atque eadem loca in quibus viuunt & vixit balsamum, habitarunt. Sed quæ ea existunt, quæ nobis repugnent fac vt ex te iam audiamus.

ALPIN. Quæ de balsami arbore à multis olim litteris tradita fuere, nunc in medium afferam; Reliqua verò de succo, fructibus, virgis, ad vsum medicinæ memoriæ proditis posterius à me recensenda arbitror. Multa igitur, variaque de huiusce stirpis magnitudine, figura, situ folijsq; à multis prodita sunt, quæ non parum veritatem obscurant, hominesq; ancipites, ac rem hanc totam incertam efficiunt. Aliqui siquidem plantæ istius magnitudinem lycij, pyracanthæ, vel Cytisi, vel therebinthi magnitudini compararunt, vt Dioscorides, Straboq; dixerunt. Theophrastus vero dixit ea magnitudine balsamum spectari, qua magna mali punici arbor obseruatur. Iustinus similem piceis arboribus affirmavit, & Pausanias mirtho; Plinius, Solinus, atque Africæ descriptionis auctor viti, hanc plantam compararunt. De eius folijs non minor est apud illos diuersitas, deque arboris figura. Quando Dioscorides Theoph. Plin. Auicenas, Simon

mcon

## D E B A L S A M O

meon sethus balsami folia rutæ proxima esse statuerint,  
 & Pausanias amaraco, Iustinus piccis, Solinusque & au-  
 ctor Aphricæ vitium folijs, De forma etiam vel figura ar-  
 boris alij arbustum, alij fruticem faciunt. Plinius enim  
 » de eo dixit: In totum alia est natura, quam nostri, ex-  
 » ternique prodiderunt, quippè viti similior est, quam  
 » myrtho; Quod etiam Solinium dixisse ab illiusce ver-  
 » his constat, quæ hæc existunt: Similes vitibus serpes  
 » habent; ac Iustinus; Siquidem palmeto & opobalsa-  
 » mo distinguitur arborem opobalsami formam similem  
 » piccis arboribus habent; & Strabo: Quæ arbor est fru-  
 » ticosa Cytiso & Terebintho persimilis; Nonnulli etiam  
 affirmant plantam hanc ali aqua, illaque tantum, quæ  
 in proxima fonte illiusce proximæ domunculæ scaturi-  
 re cernitur, aiuntque miraculo id fieri, quando ipsa sit  
 pluribus virtutibus prædita, quod Virgo Beatissima o-  
 lim ibi multos annes morata ea aqua, tum ad potum,  
 tum ad cibum, tum ad mundandos panniculos Yesu  
 Christi pueruli vsa fuerit: ex quo tanta in veneratione  
 omnes uiri mulieresque Aegyptiæ, Arabes etiam Maho-  
 metis asseclæ eam habuerunt, vt ipsa ad multorum etiã  
 morborum curationem confidenter vtantur. Multis-  
 que ex longinquis, remotissimisque locis huc veniunt,  
 vt ex huiusmodi aqua accipiant: quare nonnulli balsa-  
 mum huius aquæ beneficio hætenus hic vixisse aiunt.  
 Hæcque sunt, quæ de arbore isti dicunt. A B D E L.  
 De balsami fruticis altitudine, figura, ac folijs ea quæ  
 ex te nunc proposita sunt nihil veritatem hanc obscura-  
 re possunt. Namque Dioscor. atque alij qui hanc plan-  
 tam magnitudine similem esse lycio cytiso, terebintho,  
 & pyracantha, affirmarunt minime errarunt, cum hæc  
 omnia arbusta magnitudine non multum inter se diffe-  
 rant,

nomi

rant,

fant, eisque planta balsami maior non sit, sed hic nullæ  
 cernuntur arbores balsami, quæ ita magnæ spectentur,  
 siquidem grandiores quas hic aliàs viderim non assur-  
 gunt ad maiorem trium cubitorum altitudinem. Au-  
 dio tamen in Arabia solo eas plantas ad prædictorum  
 arbusculorum altitudinem, & maiorem etiam excresce-  
 re. In Aegypto, & Arabia mali punici arbores parvæ  
 existunt, ita, vt inter arbusculorum fruticumque nu-  
 mero ibi connumerentur, neque ad tantam assurgunt  
 altitudinem, quales in Italia locis obseruantur.  
 Quare neque Theophrastus reprehendendus erit,  
 quod scripserit esse magnæ punicæ arbori balsamum si-  
 mile, quando hæ nostræ Italicis longe sint humiliores.  
 Justinum vero quod piceæ arbori plantam balsami simi-  
 lem asserat deceptum omnino fuisse, credendum est.  
 Ex ipsiusque verbis error apparet conspicuus, nam pi-  
 ceis arboribus balsamum similem esse dicens, subdit, &  
 in vinearum more excoluntur: quis tamen nuspian ui-  
 dit piceam arborem viti similem, & in vinearum more  
 excoli? Inter quas quanta sit differentia non est, quod  
 nunc demonstratur. Fuisse vero balsami plantam ramu-  
 lis fruticosis, ac sarmentosis viti similem dubium qui-  
 dem non est, vt neque etiam quemadmodum vites, ani-  
 nis singulis putari, quod sit admodum fruticosa, & sar-  
 mentosa. Non tamen quod ad folia attinet, viti ea plan-  
 ta est similis, cum folijs referta sit rutæ aliquatenus pro-  
 ximis, præsertim vero extrema tria foliola, quæ in singu-  
 lis virgæ balsami alis cernuntur, quando ipsa simillima  
 sint tribus ijs foliolis in extremo virgæ alæ rutæ positis;  
 colore excepto: Neque absurdum est, Pausaniam di-  
 xisse balsamum folia habere amaraci a mula, quoniam su-  
 picor ego ipsum plantam balsami non adultam, sed tan-

tum

## DE BALSAMO

tum recenter ex eius seminibus natam inspexisse, quæ folio magnitudine ac figura amaraci folijs omnino sunt similia, excepta earum crassitiæ, ac colore, quibus ea folia inuicem differunt, nam in amaraco sunt graciliora, & albidiora. Balsamum quod ex seminibus nascitur bina folia in primis habet, bifoliis nascentis vitis maxime similia, & quæ post hæc, quæ sunt tria quatuor, vel quinque, produntur, amaraci foliis sunt proxima; Quæ vero tertio nascuntur singula trina existunt, rutæq; proxima cernuntur. Repeto, prima nascentia folia bina sunt, secundo nata, his multum diuersa produntur inordinatimque in virga. Tertio producta trina cuiuslibet alæ appensa, cernuntur, quæ rutæ sunt proxima, tribus inquam foliolis in extremo alæ virgæ rutæ conspicuis. Quarto quæ nascuntur in virga balsami sunt quina, & postea septena. Hæcque sunt balsami folia, aliter quam scriptores antiqui descriperint in hoc viridario in fruticibus balsami sæpissimæ visa, ex quibus atque aliis fortasse Dioscoridem, atque alios multos antiquos scriptores uiuentem balsami plantam non inspexisse, iure suspicamur. Hanc etiam arborem in hoc viridario vixisse certum est aqua ex hoc proximo fonte, in quo Beatissimam Virginem pāniculos Saluatoris nostri pueri olim perpetuo lauuisse nostri omnes autumant, irrigatam, tamen in arenosis, squalidisq; locis non pauca reperiuntur, quæ tamen quo ad opobalsamum steriles existunt. Atque hæc obiter de balsami planta dicta à nobis sint. Nunc ad opobalsamum deueniendum. Sed balsami plantæ ramum, quem mihi domo mancipium detulit, absoluto de ipso fermone spectabimus.

*Veri*

VERI OPOBALSAMI CO-  
gnitio, unde sumatur, & qui ex anti-  
quis verè hunc succum litteris pro-  
diderint. Cap. IIII.

A B D E L L A.



VID inquires Alpine de balsami planta ?  
nonne à nobis probè, vt ueritas exige-  
bat descripta est, deque eius folijs, flori-  
bus, fructibus, ac virgis, quæ dicta à me  
sunt uera tibi esse uidentur ? ALPIN. Omnia sanè  
rectissime, ac uerissime es profecutus, sed super-  
sunt tamen quæpiam de succo quoque fructibus, ac  
virgis dicenda, cum antiqui scriptores, qui de balsa-  
mo scripsere, simul in horum descriptione inter se ni-  
hil ferè conuenisse uisi sint, quorum diuersitas, vt de  
arbore etiam nuper dictum est, fuit causa, vt multi  
negarint, quæ pro opobalsamo, carpobalsamo, & xilo-  
balsamo monstrantur, uera utique esse, nullumque ob  
id ipsos credere, syncerum ac legitimum opobalsamum  
ad nos asportari: de quo primo sermonem à nobis ha-  
beri cupio, mox de cæteris. De opobalsamo igitur mul-  
ti huius sunt opinionis, vt arbitrentur, syncerum ad nos  
non aduehi, neque iniuria, quando ex te descriptum opo-  
balsamum, à nobisque sæpius inspectum diuersum sanè  
videatur ab eo, quod omnes prisca rei herbariæ scripto-  
res memoriæ mandarunt. In primis enim album mul-  
ti ipsorum esse prodidere, Strabo siquidem dicebat:  
eius corticem scindēt: s succum in uasis suscipiunt tena-

D ci lacti

## D E B A L S A M O

,, ci lacti persimilem: & Plinius succus è plaga manat, què  
 ,, opobalsamum vocant eximia suauitatis, sed tenui gutta  
 ,, ploratu lanis parua colligitur in cornu ex his nouo ficti-  
 ,, li conditur crassiori similis oleo, & in musto candida.  
 ,, Et Simeon Sethus vir in balsami historia alijs non post-  
 ,, ponendus dixit: Succusque inde manabat omni oleo  
 ,, uisu similis, quod ideo balsami oleum nominatur, suc-  
 ,, cus his aggregatus vasculis excipiebatur, & id quidem  
 ,, quod supernatabat album ac tenue erat, & ideo precio-  
 ,, sius: Alij sunt rursus afferentes, hunc succum non esse  
 ,, tenue, sed crassum veluti qui dixere in conchis susce-  
 ,, ptum coagulari, Cum vero opobalsamum, quod tu  
 ,, descripsisti, & nos saepe inspeximus, vel viride, vel aureū,  
 ,, vel mellis colore obseruetur, interdumque turbidum,  
 ,, interdum clarum, ac tenue, aliquandoque vt terebinthi  
 ,, na crassum cernatur, (nemo enim nostrum est, qui eum  
 ,, succum tot prædictis differentijs euariatum non vide-  
 ,, rit, scilicet oleosum viride, aureum ac melleum, clarum  
 ,, turbidum, tenue crassum) de ipso varios & dubios esse  
 ,, mirum non erit. ABDACH. Facile has ambiguitates  
 ,, noster Abdella ex animis nostris abiget. Præsertim cum  
 ,, harum explicatio ex ijs pendeat, quæ dudum ipse attu-  
 ,, lit. Dixit enim opobalsamum iuxta eius ætates varias,  
 ,, variari & ipsum quo ad colorem, substantiam, perspi-  
 ,, cuitatem odorem, & leuitatem; continuoque, à stipite in-  
 ,, stillatum ac exceptum albo colore conspici, præsertim-  
 ,, que quod supra enatat, veluti mirus quod subsidet, qui  
 ,, color paululo momento in subuiridem oleosum muta-  
 ,, tur, qui post quinquennium, vt superius etiam dictum  
 ,, meminimus aureus fit, ac demum senio confectus cras-  
 ,, fescens mellis colorem, obscuriorem tamen accipit.  
 ,, Tot etiã mutationes in perspicuitate, substantia, odore,  
 style="text-align: right;">leuitate

leuitate eius varias ætates facere alias dictum est, quando opobalsamum recenter eductum per quinquennium turbidum maneat, à quo tempore clarescere incipit, per decenniumque ferè ipsum clarissimum, ac vt aurum splendescere obseruatur; postea senescens turbidum rursus euadit. A stipite etiam statim exceptum tenuissimum est, pauloque post parum crassescit, atque hinc Strabo dixit, susceptum in conchis coagulari, peractoque quinquennio, quod tempus pueritiæ datur, purgatur, fecemque in fundum vasis deponit, tenuissimumque fit, & totidem geminatis peractis annis senescens crassum, crassiusque est, quo annosius. Odor non minus & sapor, in recentissimo validissimus est, in medio tempore odor fit suauior, thus ac terebinthum redolens cum suauiori tamen odoris fragrantia, sapor est subamarus acris atque adstringens. Demum in senio omnia hæc maxime remissa percipiuntur. Hincque Plinium deceptum fuisse arbitror, qui putauerit optimi huius succi lachrymam fricando percipi odoratam. Siquidem opobalsamum senio solummodo confectum inodoratum fit, vt tunc solum frictione dignosci queat. In principio etiam hic succus leuissimus est, qui quam maxima difficultate in aqua, vel alio liquore instillatus confidat, sed continuo in aquæ superficiem feratur, citoque cum aqua dissoluitur: annis vero consistentiæ medio se habet modo, senescensque colore eius imminuto crassescit, quo fit vt subito in aquam projectus confidat, tardissimeque sursum in aquæ superficie feratur, difficillimeque ac tardissime cum ea dissoluatur. Hæcque etsi non ita concinna oratione, tamen ad tuarum difficultatum explicationem accommodata satis esse Abdella noster iudicabit.

ABDEL. Ego vero sic ea vera iudico, vt omnes, qui

D 2 de opo-

## DE BALSAMO

de opobalsamo scribentes, aut loquentes ab his dif-  
 fenserint, rem prorsus ignorent, ex quibus Plinium  
 ex varijs coloribus, ac substantijs in opobalsamo in-  
 spectis, varias eiusce succi differentias vel species facien-  
 tem errasse clarissime patet; dixerat enim ille: Lachry-  
 ma probatio, vt sit pinguis, tenuis, ac modice ruffa,  
 & in fricando odorata, secundus candidus colos pe-  
 ior uiridis, crassusque pessimus niger. Nemo Aegy-  
 ptiorum, uel Arabum album opobalsamum nisi ex ar-  
 bore recentissime stillatum uidit, qui tamen color  
 quam paucissimis diebus euanescit, atque ut dictum est,  
 in olei colorem uertitur, atque ab eo colore in aureum,  
 & denique in melleum obscuriorem. Nigrum uero nun-  
 quam ab aliquo nostrorum, uel Arabum uisum est, neque  
 auditum. Nisi fortasse produceretur nouissime ab Oc-  
 cidentalibus Indijs delatum, à quibusdam pro legitimo  
 opobalsamo, vt superius quoque meminimus, receptum.  
 Quod tamen falsum esse planè constat, cum ij, qui eius  
 historiam scripsere affirmant illum succum improprie  
 opobalsamum uocatum in Occidentibus Indijs ex pro-  
 cera ac magna arbore nasci, quæ quidem magnitudi-  
 ne, figura, ramis, folijs, fructibus à vera balsami arbo-  
 relongissime differt. Quod ijs, qui utramque norunt ar-  
 borem non erit difficile suadere. ALPIN. Simeon Se-  
 thus confirmare & ipse uidetur optimū opobalsamū re-  
 centissime à stipite distillatū album colorem habere, nec  
 non, & Strabo qui opobalsamum lacti similem esse scri-  
 bit. Sed quamquam huiusce succi albus color pauculis  
 diebus à stillatione euanescat, atque in alium colorem  
 mutetur, nihilominus, quod non paucis ualde admi-  
 randum uidebitur, opobalsamum oleoso colore inspe-  
 ctum, in aqua uel lacte stillatum album rursus uideri:  
 & idem

& idem etiam facere aureum, & melleum. Perpetuo-  
 que verum opobalsamum cuiuscumque coloris sit in a-  
 qua, vel lacte stillatum, ac liquatum album spectabitur.  
 Hincq; Dioscorides doctissime dixit: Quin etiam syn-  
 cerus in aqua, aut lacte celerrime liquatur; coloreque  
 lactescit. Nunquam quisquam opobalsamum visui non  
 album, album esse iudicarit, quod tamen verum esse ex-  
 perientia docebit, si inquam quis sinet stillatum in a-  
 qua, liquari, ac coagulari, ipsum etenim liquatum su-  
 pra aquam ita album redditur, vt uix ab aqua distingua-  
 tur, sed paululo momento in ea coagulatur, eique in-  
 star tellæ albæ incumbere, & in ea supernatare cernitur,  
 manifestiorq; eius albus color fiet, si coagulatum stillo  
 quopiam ab aqua eximatur, aut extrahatur. At cur ex  
 albo tam citò in alium colorem mutatur? ABDEL.  
 An quod lactei illiusce coloris substantia mollis, ac te-  
 nuissima, quam citò resoluitur ac dissipatur, uel quia  
 nondum eius calor præualidus in eum succum agendo  
 ipsum turbauit. Idem in Zebet obseruatur, etenim sta-  
 tum è testibus extractus lacte colore inficitur, pauloq;  
 ebullire incipiens, uirescit, & tandem subnigrescit.

ALPIN. Rectè sunt à te hæcenus explicata, &  
 enarrata omnia: Nunc igitur ego idem à te  
 fieri cupio, pro indagandis, ac docen-  
 dis notis vel signis, quibus ue-  
 rum à non uero, synce-  
 rum ab adultera-  
 to rectè di-  
 stinguatur.

DE

DE BALSAMO

DE NOTIS, QUIBUS VERVM

*opobalsamum à non vero, Sincerum  
ab adulterato tuò cognoscitur, ac  
discernitur. Cap. V.*

ABDELLA.

**H**IS notis quisque probè ac exactissime verum hunc succum, à non vero, & legitimum ab adulterato dignoscet, neque ab aliquo ita facile decipi poterit, etenim succus is qui nondum ad senium, inclinare caperit, colore albo conspicitur (quod rarissime, & non nisi dum ipsum è stipite stillat, vel recentissime eductum videre contingit) vel viridis est, oleosus subturbidus oleoque substantia & colore valde similis, vel aureus fulgentissimus tenuissimus, atque clarissimus. Qui sanè omnes has notas habebit, vehementis erit odoris, & quo magis etiam recens est acutioris, terebinthum cum alio suauiori odore redolentis, gratissimusque olfactui erit. Gustu etiam subamarus, adstringens & modice mordens percipietur, læuis, diluique facilis, qua nota, eo instillato in aqua vel lacte dignoscetur, læuis enim extabit, & vel nihil sub aqua morabitur, vel parum, & quasi continuò supra eam sursum assurget. In qua citò diluitur, vel liquatur, nil vinctuosi retinens, vel oleosi, tenax, siue lentore aliquo præditus est. hisque omnibus notis verum, sincerumque opobalsamum semper omnibus apparebit. ALPIN. possit ne quis aliquod factitium oleum ita simile opobalsamo parare, ut eo multos decipiat. ABDEL. Sine dubio, cum Gal. suo tempore etiam ipsum usque adeo adulterari dixerit, ut uix adul-

adulteratum cognosceretur. Veruntamen quod adulteratur, necesse est, vt aliquo liquore, vel oleo, vel unguento vitietur. Dioscorides dixit opobalsamum vitari posse admisto teribinthi, cypri, lentisci, balaniq; unguento, & fusino, metopio, melle, cypriaque cera liquida. Serapio his addidit oleum rosaceum, myrtinum, & de alcanna, quod cyprum appellant. Plinius ex seminibus veri balsami, quæ vocant carpobalsamum, extrahi simile oleum asserit, qua via multi ex ipsis oleum exprimunt uero opobalsamo admodum simile; quod tamen ab eo discernitur amarior sapore, odoreque opobalsami longe obscuriore. Prodit etiam ipsum adulterari posse oleo rosaceo, cyperino, lenthiscino, balanino, terebinthino, myrtino, resina, galbano, & cera cypria, quæ sanè eadem existunt, quorū nuperrime Dioscoridem sub nomine unguentorum meminisse, dictum est. Sed forsitan melius ipse dixisset oleis, quàm unguentis adulterari posse, quod ille succus tenuis perinde ac oleū fit, minimeque crassus nisi senio fuerit confectus. His igitur opobalsamum vitari potest, cuius malficiū facile deprehenditur, oleoque adulteratum trifariam detegitur, atque in primis, quod digitis contrectatum nullo lentore, vel viscositate adharcat, quando verus balsami succus lentore, ac viscositate quapiam non carere à nobis aliàs dictum sit, à multisque ex antiquis scriptoribus confirmatum, oleo siquidem resinarum omnium tenacitatem abigi omnibus manifestum est. In aqua præterea instillatum supra eius superficiem orbiculorū formis expandi nemo nostrum ignorat. Quod syncerum opobalsamum non facere posterius docebitur. Demum in panno oleo infecto macula relinquitur, quæ & difficile aufertur, & quotidie etiam magis maiorem in circum-

lum

## DE BALSAMO

lum expanditur, quòd non fit in syncero opobalsamo. His igitur notis opobalsamum oleo vitiatum cuiq; pate-  
re poterit. His etiam comperietur vitium, si vnguenta  
ijsdem oleis composita misceantur, sed hoc amplius ijs  
aderit, quod in opobalsamo parui temporis spatio in-  
fundo vasis vnguenta sidere necesse est. Cera vero mi-  
stum comprehendetur turbido colore nunquam clare-  
scente. Melle etiam infectum dulcis sapor detegit, atq;  
ad ipsum, vt Plinius quoque testatur, muscas alliciet. Re-  
sina adulteratum in carbones instillatum nigrior è flam-  
mam edit. Syncerum vero his notis innotescet, namq;  
præter ea signa, quæ illum iuxta varias ætates præfer-  
re diximus, hæc etiam addidimus, scilicet præterquam  
quod fit validi odoris in aqua etiam stillatum, tametsi  
paruissima sit gutta, supra totam aquæ superficiem ex-  
pandi, eamq; liquatum totam supernatare, ac obtege-  
re, atque in ipsa etiam citò coagulari, lactisq; colorem  
adipisci; ac non minus ex ipsa coagulatum totum stillo  
quopiam excipi, ac auferi, quodq; fufum in laneam ve-  
stem eam, vt oleum non inficit, quanquam ei adhæreat.  
Lacq; coagulat, etsi non ita vt coagulum facit, quia lac  
non perfecte coagulat, quinimo cum ipso coagulatur.  
ALPIN. Multo plura, quàm tu desynceri opobalsami,  
ac vitiatu notis complexus es, apud multos leguntur.

- » Dioscorides siquidem hæc utiq; nobis prodiderat. Suc-
- » ci probatio est, vt sit recens validi odoris, Syncerus,
- » non ad acorem uergens, dilui facilis, lauis adstringens,
- » ac modice mordens gustu. Et ubi ea à quibus opobal-
- » samum potest adulterari meminerat, hæc subiunxit.
- » Namque merus in laneam uestem fufus neque maculam
- » facit, neque si eluatur notam relinquit. Vitiatu autem
- » inhæret, & lac instillatus coagulat, quod adulteratur

non

non efficit. Quin etiam syncerus in aqua, aut lacte ce-  
 lerrime liquatur, coloreque lactescit, vitiatu vero olei  
 modo innatat, se contioluens, aut in stella modum dif-  
 fundens, syncerus senescens crassescit. Deteriorq; red-  
 ditur. Hallucinantur, qui aqua concretum pessum ire  
 & ad ima fidere, arbitrantur, postea dissipatum superna-  
 tare. Et Plinius ait syncerum inhærescere, & in repida  
 aqua eius guttam coagulari & ad ima fidere, lac coagu-  
 lare, & in vestem maculam non facere. Et Auicenas:  
 lac coagulare, aquaq; ipsum misceri, & in ipsa densari,  
 densatumq; conseruari, atq; a gossypio receptum ablu-  
 posse. Serapio eadem à Dioscoride iam recitata, de ip-  
 so nobis prodidit. Simeon vero Sethus hæc & ipse scri-  
 psit: At vero nonnulli hac ratione probant, quod fer-  
 rum eo inunctum ignique ad motum incandescat, id  
 quod & oleo camphuræ, alijsque dictis oleis accidit.  
 Alij quod in aquam datum minime supernatet, sed sta-  
 tim fundum petat, vere hoc quidem, sed enim quando  
 hæc duo concurrunt, videlicet ferrum candeat, & in a-  
 qua facile subsidat de eo statim arripe. Est enim legit-  
 mum, & non factitium. Scire autem præterea oportet,  
 quod dum recens est, & in proprio vigore super aquam  
 enatat actum ita probatur. Linteo in eo irrigato ac po-  
 stea sublato à linteo totum recedit, non colorem, sed  
 odoris duntaxat suauitatem illi relinquens. Hæc omnia,  
 ac inter se admodum diuersa cum apud hos grauissimos  
 plantarum scriptores legerim, atq; opobalsamum, quod  
 tu vere syncerum affirmas apud me sit, non omniaque  
 ab his scriptoribus de eo perdocta, reprehenderit, qui-  
 nimo aliqua sint, quibus ipsum planè non respondere  
 videatur; quanquam enim ipsum recens sit, minimèq;  
 ad vllum acorem vergens; validiq; odoris, oleosi colo-

E ris,

201p

## DE BALSAMO

ris, turbidum in primis eius annis obseruatum, mox clarum, aureum subamarum, adstringens, & modice mordens gustum, tenax, leue, dilui facile, lacq; coagulet, & linteum non inficiat, atque, vt ait Auicenas, aquæ etiam stillatum, misceatur, in ipsa que coaguletur, supra que aquam coagulatum enatet, atque eo etiam ferrum, vt Sethus ipsum hac experientia cognoscendum voluit: inunctum probè in ignem positum candeat. Tamen, quod apud omnes prædictos antiquos scriptores affirmatur, quippè ipsum, lanæ, vesti instillatum aqua ablutum omnino ab ea abigi posse, nihilque ei adhærere, nunquam potui obseruare. Nullum enim reperitur opobalsamum, quod instillatum in pannum ei aliquatenus non adhæreat: ex quo ego etiam puto, nullum verum opobalsamum eam experientiam facere posse, quando ipsum, vt in alijs omnibus resinis obseruatur. (cum succus resinosus sit, inter res suasque possit sine errore recenseri) viscositatis ac lentoris non sit expers. Ex quibus valdetum de huius succi signo, ab antiquis ferè omnibus animaduerso dubius, an anceps. Cupioque tuam hac in re sententiam audire, vt in ea tandem acquiescam. **ABDEL.** Dignus es cum isto tuo scrupulo non parua reprehensione, qui vno signo magis quàm pluribus, quibus tuum opobalsamum omnibus probè respondere scis, fidere uolueris, quod neque verum signum huius succi dicendum esse puto, siquidem quo pacto hic succus lentoris, ac viscositatis non expers, (cum ipse nihil quidem aliud quàm resina quæpiã sit) lineo, vel laneo panno vel gossopio instillatum aliquantulum non adhærebint. Etenim non modo succus iste tenax est, sed ramuli quoque virides, si digitis contrectentur, eis proculdubio adhærent, quod non nos modo, sed etiam alios

quos

quos antiquorum nouisse certum est, nonne Strabo dixit: Eius corticem scindentes succum in vasis suscipiant renaci lacti persimilem. Quid? nonne Plinius notas synceri opobalsami docens dixit? Succum balsami syncerum debere inhærescere. At ne amplius remorer desiderium tuum, paucis de nota hac à Dioscoride profita dicam, quid sentiam. Puto enim syncerum opobalsamum non aliam ob causam, Dioscoridem, atque vna cum eo alios dixisse succum istum vestibus vel panno non adhærere, nisi vt nos docerent mistum aliquo oleo, vel quopiam vnguento hinc deprehendi, quoniam, vt ego nuper etiam vos docui (quod à plerisque oleo eo tempore vitaretur) oleo vitiatum in pannum instillatum, laneumque præfertim, quod facilius sit ad emaculandum, instar olei inficit, eiq; perpetuò non modo adhæret, sed quotidie magis in eo recepta macula augetur ac dilatatur. At syncerum, quamquam paululum panno etiam instillatum inhæreat, tamen ipsum vt oleum non inficit, neque maculam relinquit, quinimo secus atque oleum panno adhærescens quotidie decrescit, vsquequo tandem omnino aliquo tempore sponte dissoluitur, atque euanescat. Quamobrem syncerum opobalsamum panno quidem, at non olei modo adhæret, neque aliquam maculam relinquit. Quod sæpe vobis meum opobalsamum in meam vestem instillatum ostēdit. Verum non debet hoc experiri in pannis ijs, quos vos in Italia paratis, nostris longe crassioribus, in quibus fortassè cum olim vestri hi crassi panni lana parati ex Italia huc non asportarentur, neq; nostri his, vt nunc faciunt, vterentur. Dioscorides in his periculum faciendum, non sentit, sed in nostris ijs longe gracilioribus. Clarius verò hoc signum Plinius docuisse est visus, cum di-

## DE BALSAMO

xit, & in veste maculas non faciat, non autem, ut in Dio-  
 scoride habetur, vesti non adhæreat. Verius fortasse  
 Sethus opobalsami cognitionem ex hoc signo habendâ  
 » tradidit, quod his verbis apud ipsum legitur: Linteo in  
 » eo irrigato, ac postea sublato à linteo totum recedit,  
 » non colorem, sed odoris, duntaxat suauitatem relin-  
 quens. Cœterum ex his, quæ ita diuersè de notis verum  
 opobalsamum a falso distinguuntibus, apud diuersos an-  
 tiquos scriptores leguntur, dubitandum non immeritò  
 à nobis existimo, hosce authores nunquam fortasse, ne-  
 que viuentem plantam vsquam offendisse, neque multo  
 minus syncerum eius succum inspexisse, cunctaque po-  
 tius aliorum relatione, quàm vera obseruatione de eo  
 ab his prodita fuisse. Qua de causa non ab antiquis  
 scriptoribus, inter se de balsami historia discordantibus  
 veritas hæc petenda esset, sed ab his populis, præsertim-  
 que medicis qui loca in quo balsamum, omnium scri-  
 ptorum consensu, vixit, perpetuò habitauerunt, & sapif-  
 sime obseruarunt. His etenim iure merito de ipso fir-  
 mior fides habenda erit. Hi sunt Aegyptij, atque Ara-  
 bes, qui omnes vno consensu asserunt, hoc excepto opo-  
 balsamo, quod uos verum esse non creditis, nullum  
 aliud vsquam vel in toto Aegypto, vel in tota Arabia,  
 vel Syria, fuisse cognitum, aut vsitatum. Cuius uerita-  
 tis clarissimum ac certissimum signum erit, aliud opo-  
 balsami genus ab hoc diuersò, apud Turcarum Regem  
 ijs locis imperantem, atque apud plures Turcas, qui ua-  
 rijs temporibus his omnibus prædictis locis, præser-  
 timq; Aegypto præfuerunt, nunquam fuisse repertum,  
 quin immo apud hos inuétum idem planè esse cum no-  
 stro, atque nihil ab isto communiter recepto, differre.  
 Rex enim Turcarum singulis annis à Seriph Mecha, at-  
que

que Medina domino binas, & plures etiam opobalsami libras dono missas accipit, perpetuoque postquam Aegypto imperauit, ab ipso opobalsamum recepit. Quod sanè idem planè est cum eo quo omnes Aegyptij, Arabes, Syri, atque alij vtuntur. ALPIN. Verum dicis; Nam ego certo scio idem esse opobalsamum vulgo receptum cum eo quod apud multos dominos Turcas, Consules Venetos habetur, quibus à præfecto Aegypti, ac alijs nobilibus Turcis dono datum fuit, idemque cum eo, quod apud Serenissimum Franciscum Medicem Ducem Florentiæ à Turcarum Rege olim ei dono datum, hodie conspicitur. quod cum meo etiam opobalsamo ex Aegypto, ad prædictum Sereniss. Ducem anno superiori missò, rectè ab ipso comparatum idem planè esse, certum est. Quamobrem omnes, qui negant vulgo receptum verum esse, si ipsum cum opobalsamo comparent, quod apud multos extat, Venetos, alim huius loci Consules Clarissimos, atque apud alios plures, qui olim hæc loca peragrarunt, & opobalsamum à nonnullis Dominis Turcis acceptum illuc comportarunt, probè an ipsum verum sit, cognoscent. ABDEL. Multum tamen Auicenam admiror, qui dixerit à gossypio, hunc succum aqua abluì posse, cum tamen superius dixerit, ipsum in aquam infusatum coagulari ac densari: quod cum verum sit, quomodo in gossypio receptum, ac imbibitum aqua ab ipso abluì poterit? hoc enim fieri non posse cuique patebit. Est demum alterum opobalsamum ex seminibus balsami expressum, cuius etiam inter adulterata nuper recensuimus, quod pro vero succo opobalsamo aliquando venditur, quod tamen facile, vt dictum est, ex obscuriore eius odore, amarioreque sapore à vero diuersum ab his esse comprehenditur.

## DE BALSAMO

henditur. Ac de opobalsamo hæc à nobis dicta sufficiant. Restat modo, vt de balsami fructibus, & virgis loquamur, quando multi quoque non desint, qui contendant verum neque carpobalsamum, neque xilobalsamum esse.

### VERI CARPOBALSAMI,

*& xilobalsami cognitio, et consideratio. Cap. VI.*

A L P I N V S.



**H**ACTENVS balsami plantæ, atque ab eâ educti succi ambiguitates omnes vir doctissime dissoluisti, veritatemque ita claram effecisti, vt de arbore, ac succo nostri amplius contendere non debeant, sed ipsum potius agnoscere, atque in vsum medicinæ restituere, quod quidem facientes summa laude digni erunt, tantum auxilium in vsum reuocantes, atque recipientes. Cum nemo nostrum dubitet multum veri opobalsami ex Aegypto, & Syria in Italiam comportari, quod facile à nuper adductis notis ibi an syncerum sit, cognoscetur. Restat modo, ut de eiusdem plantæ fructibus, & virgis, quod apud nostros dubij super sit ab illorum animis euellas. Quando vulgaria semina, pro vulgari falso carpobalsamo à multis recepta, quorum ad vos singulis annis multa copia aduehitur, verum esse antiquorum carpobalsamum me iudice etiam affirmandum sit. Animaduertendum tamen est, duplex genus carpobalsami circumferri & utrumque pro balsami seminibus apud nonnullos recipitur, quorum vnum semen est terebinthi magnitudine,

atque

atque ferè etiam forma, rotundumq; & oblungum, duo simile in extremis acutum, flauum folliculo nigro rubescente vndique contextum; Hocq; verum est antiquorum carpobalsamum. Alterum vero pseudocarpobalsamum huic admodum magnitudine, colore, figuraq; est simile; differt tamen à vero, quia ipso est oblongius ex medietate tantum folliculo contextum est, nam illud extremum, quod suo pediculo appensum est, folliculo caret, minimeq; eo totum contegitur, sed tantum ad eius usque medietatem, de hoc vero, quod falso pro balsami semine me iudice recipitur, non loquimur. quamquam odoratum sit, atque aromaticum. Illudq; fortassè esset, quod olim Dioscoridis tēpore ex petra oppido Arabiæ pro carpobalsamo asportabatur, & quo verum carpobalsamum adulterabatur, si piperis saporem præferret. De altero vero ab hoc prædictis notis discrepante, quod præfertim à falso differt, quia totum folliculo suo contextum est, quā falsi, ut iam dictum est, tantum medietas folliculo contexta appareat, a nobis sermo habendus est. Audio nunc Venetijs omnes pharmacopolas consilio excellentissimi collegij medicorum in cōponenda theriaca, atq; mitridatio pro veris balsami fructibus iuniperi fructus substituere. quod quanta dignum reprehensione sit, ac in quāto illi versentur errore vobis doctissimis viris nunquam latuit. Et vtinam nunc perspectis rationibus iidem non permittant sine his tanto artis cum dedecore (quando hæc omnia non sit difficile apud eos reperiri) Theriacam atque alia medicamenta amplius parari; sed vereor, ne magis in antiquis erroribus persistere, quàm rei veritatem amplecti velint. ABDEL. Quid? etiam ne fructus balsami, quorum in Italiam, aliaq; loca hinc copia multa aduecta, illis non deest, negant ve-

## D E B A L S A M O

ros esse, atque pro eis in componenda theriaca aliisque medicamentis baccas Iuniperi substituunt? quid de te audio? pudet me tantorum medicorum, qui hos hactenus veros fructus neglexerint, minimeque his vtantur. Sed quibus rationibus aducti, negant ista semina merito ex te pro vero antiquorum carpobalsamo recepta, veros esse fructus balsami. An non ipsorum magnitudo color & forma ad eos recognoscendos satis illis erunt? Theophrastus dixit: illos esse similes therebinthi fructibus magnitudine, figura ac colore. Et clarius Serapio

» ex Dioscoridis mente hunc in modo eos descripsit: Et

» granum quidem ipsius, quod nominatur carpobalsamum

» est granum rotundum ad longitudinem aliquantulum

» tendens ad acuitatem in ambobus capitibus in medio ve-

» ro grossius. Cuius color tendit ad rubicunditatem, &

» est plenum, graue, mordens linguam mordicatione ali-

» qua non multa, & quando frangitur interius habet hu-

» miditatem similem melli, & eius odor est bonus. At

» Dioscorides addidit hoc semen redolere opobalsamum,

Certè, vt verum fatear, fructus balsami ab Italis tuis medicis, atque pharmacopeis neglecti, tum Serapionis descriptioni omnino respondere cognoscuntur, tum etiam notis à Theophrasto allatis, quando hi colore, figura, atque magnitudine vere fructibus terebinthi proximi spectentur. Serapio vero eos multo diligentius ac exquisitius declarauit, qui ipsos grana esse rotunda statuit, oblonga, extremis acutis, & medio crassiore ad coloremque subrubrum tendentia, graui plenaque esse, ac modice gustum mordentia, quæ intus substantiam melli similem habent. Ex quibus notis vulgare carpobalsamum verum omnino esse certissime ostenditur, sed quamobrem isti negant hos, veros balsami esse fructus, scilicet carpobalsamum

famum antiquorum & ALPIN. Omnes vno ore prædicant prædicta semina non vna, at omnibus carere prædictis notis, quibus ea prædita esse Dioscorides omnium antiquorum in plantarum descriptione facile primus memoriae olim prodiderat, hisque speciatim verbis. Quare  
 eligatur flauum, plenum, grande, ponderosum, mordens gustu, feruens in ore modice opobalsamum olens. Dicunt itaque istæ semina à vobis pro carpobalsamo monstrata non flaua, vt Dioscor. docuit, sed nigra subrubescencia spectari, vacuaque non plena esse, leuia & non graua, parua & non magna, neque gustum aliquo pacto mordere, neque opobalsamum olere. Hisque rationibus negant illa semina verum carpobalsamum antiquorum esse, sed potius ea, quæ olim ex Petra oppido Arabiae aduecta verum carpobalsamum adulterari Dioscorides animaduertit, quod ipse hisce verbis docuit, dicens: Adulteratur semine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur, sed coarguitur magnitudine, inantate, virium ignauia, sapore piperis. Idemque ferè Plinius testatum reliquit: atque hæc sunt aduersus balsami vulgares fructus à quampluribus Italiae, aliarumque nationum medicis, & pharmacopecis disputata. A B D A C H. Ex his duobus alterum verum esse arbitror, vel illos scilicet viros à te recitatos carpobalsami notas nunquam probè cognouisse, aut nunquam hos fructus, vel semina, quæ præ oculis omnes hi pharmacopolæ quotidie habent, inspexisse, quod si illi hæc aliquando inspexissent, ac rectè obseruassent, proculdubio fieri non potuisset, vt ex omnibus notis ipsos non agnouissent, veros esse balsami fructus; quando nõ solum falsum sit ipsos omnibus notis à Dioscor. traditis carere, sed ne vnam quidem illis deesse. Nam istæ semina sunt

## D E B A L S A M O

humiditate melli simili plena, quorum si multa fracta intus in spexissent, nisi cæci omnino fuissent, fieri nullo modo poterat, ut non id animaduertissent. Cernuntur etiam longe hyperici feminibus maiora, sunt grauiora, cum aliqua mordicatione, atque opobalsami odoris fragrantia, quorum saporem, atque odorem unusquisque gustu, ac olfactu minime destituito, poterit cognoscere. Nemo mea quidem sententia erit, qui prius opobalsamum olfecerit, ac gustauerit, mox ista fracta semina olfaciendo & gustando, in ipsis eundem saporem, atque odorem opobalsami apertissime non cognoscat.

ABDEL. Verissima prædicas, neque indigna, ut ab illis medicis audirentur, ac animaduertentur. Nam hæc femina vulgaris à nobis pro carpobalsamo recepta, eadem esse, quæ in multis Arabiae Felicis locis supra balsami frutices colliguntur, omnes, qui illa loca peragrarunt, vere testantur: neque ullis unquam alijs Aegyptij pharmacopæi pro balsami fructibus ad componenda medicamenta usi fuere. Neque aliorum Aegyptiorum memoria constat, unquam ex Petra oppido, quod nunc Mecha dicitur, alios, quam hos fructus pro carpobalsamo ad nos delatos fuisse. Neque Galenus existimat homines in eorum feminum cognitione hallucinari ac decipi posse, quando in libro de Antid. dixerit, carpobalsamum non posse adulterari, idque merito, cum minime fieri posse videatur, ut aliquis, qui vera balsami semina semel tantum viderit possit ab alijs decipi; sed concedatur posse adulterari, tamen cognosceretur id saltem, ut Dioscor. docuerat, inanitate, paruitate, & sapore piperis. Verum non possum non vehementer illos medicos admirari, dicentes notas à Dioscoride nobis carpobalsami eo traditas fuisse, ut ista semina ab alijs distinguerentur,

tur, quando ipse illas notas non ob id tradiderit, sed potius, ut ijs homines perdocti selligerent ex seminibus balsami, ea, quæ flaua existunt, plena, maiora, grauiâ, sapore, atque odore opobalsami prædita, quoniam hæc cæteris meliora existunt. Quis ignorat agricolas etiam ipsos aliqua semina ementes, siue triticum sit, siue hordeum, se ligere plena, magna, ponderosa optimi saporis atque odoris, abijcereque inania, parua, leuia. Quamobrem istud? quia hæc inutilia, illa optima existunt. ALPIN. Dicunt, flauum colorem, quo uera semina balsami spectari Dioscor. tradidit, in istis seminibus non conspici, cum ipsa subrubra potius, & nigrescentia cernantur. ABDEL. Rectè dicunt, sed hinc conijcitur, ipsos minime esse in horum seminum obseruatione exercitatos, seduloque nunquam ea inspexisse, quoniam si sæpe multa sedulo, varijsque modis obseruassent, proculdubio duplici colore referta esse cognouissent, quippè nigro rubescente suis folliculis uestita, hisque spoliata, ac nudata, flauo. Ex qua obseruatione, nec Dioscoridem, docentem illud semen flauum esse, nec Theophrastum cum Serapione subrubrum nigrescens, falsum prodidisse, patet. Quando hi semen uestitum suo folliculo, quod nigrum subrubescens cernitur: & Dioscor. folliculo spoliatum, quod flauum est, intellexerint. Hæcque à nobis de carpobalsamo dicta sufficiant. De xilobalsamo uero non puto à nobis multa esse dicenda, quando non ita omnibus, ut carpobalsamum, ignotum uideatur, esse illas virgas communiter ab omnibus pharmacopæis pro carpobalsamo receptas, etsi ijs tamen non utantur, argumentum erit certissimū, ipsas redolere odorem opobalsami, & carpobalsami, eundemque gustui saporem etiam præferre. Optimæ

## DEVBALSAMO

autem existunt, sarmentosa, tenues, fuluæ, & recenter excisæ, odorem opobalsami manifestissimum spirantes. Quem odorem eximium spirare à Theophrasto ac Serapione proditum est. His vero recentibus pharmacopæi uti debent, cum paruo etiam tempore omni odore ac sapore destituantur; tanta est enim illius humidæ substantiæ, in qua odor, saporque fundantur, tenuitas, ut cito exoluatur; simulque cum ea sapor atque odor euanescat. ALPIN. Fascem recentissimarum virgarum Dominicus à Rege noster pharmacopola ab amico suo Turca, apud oppidum Sues, illuc Mecha aduectum habuit, qui tantum opobalsami odorem spirabat, ut eminus suauitas odoris cognosceretur, qui tamen paucis mensibus ferè omnino exolutus est. Multas virgas recentes habui, quæ apud me adhuc assèruantur; quas comparatas, cum ijs, quæ apud Venetos pharmacopolas sunt, easdem utique esse sine dubio cognoscitur; quæ si recentes conseruarentur, veritas hæc omnibus esset manifestissima, ita validus, ac manifestus in ijs odor opobalsami perciperetur, ex quo omne dubium ex ipsorum animis sponte excidisset. ABDEL. Tibi sufficiat, hæc de balsami planta, succo, fructibus, virgis ex nobis audiuisse, atque didicisse, ramumque istum ex balsami fructice dissectum nunc Alpine spectare poteris, atque ex dictis ipsum recognoscere. Sed absoluto de ijs sermone, cum iam Sol supra horizontem multum ascenderit, æremque inflammare cœperit, satius erit nos hinc abire, & in urbem redire, priusquam augeatur caloris æstus. ALPIN. Rectè suades, abeamus, vobisque quod tantum hætenus susceperitis laborem, multas gratias refero, meque ut pro vestra humanitate ametis quemadmodum facitis etiam, atque etiam rogo. Valet. ABDEL.

Atque

Atque tu interim vale. mementoque nos tui esse studio-  
sissimos, teque multum, atque multum obseruare.



*[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the leaf.]*

CVR

AEQY



DE BALSAMO

*CVR PETRI BELLONII OB-*  
*uersationes in Aegypto circa balsami*  
*plantam factæ hic adnotatæ*  
*sint. Cap. VII.*

**C**VM hisce diebus librum olim in Aegypto à me de balsamo conscriptum in publicum emissurus essem, Ecce in manus meas perueniunt doctissimæ itinerariæ obseruationes à Petro Bellonio Cenomano, viro tum in alijs tum in plantarum materia doctissimo, ante annos ab hinc quadraginta litteris traditæ, atque hoc tantum anno in lucem editæ. In quibus cum balsami nonnullarum plantarum olim in Aegypto viuentium diligentissimam obseruationem ab eo rectissimè exaratam, ac descriptam legerim, optimum fore putavi, si eam sub fine huius libelli adijcerem, Siquidem speravi ex tanti uiri in plantarum materia exercitatissimi lectione, ea quæ dicta sunt à nobis, ac litteris de balsami historia mandata, posse haud parum animos legentium confirmare, quod is omnia ferè complexus sit, quæ in meo libello leguntur. Hæcque priusquam balsami obseruationem Bellonij hic adijcissim præfari libuit; ne ex abrupto hic ea inserta candido lectori viderentur.

CVR

AEGY-

## ÆGYPTII BALSAMI OBSE-

*ratio ex Petro Bellonio in libro II. itinera-*  
*riarum obseruationum, capite*  
*XXXIX. collecta.*

**I**N quodam pago spectatum iuimus hortum balsa-  
 mi fruticibus confitum, qui à Cayro longius haud  
 abest, quam Lendit à Lutetia. Quoniam porro  
 balsami planta admodum celebris, preciosa, raraque  
 est; hic scribere libuit quidquid ad eius historiam perti-  
 nere arbitrati sumus. Quosdam esse scimus, qui Ma-  
 creæ Balsamum ex Iudæa delatum esse putent: rem au-  
 tem haud ita se habere, postea demonstrabimus. In  
 magno quodam horto sunt, sed angusto loco muris  
 conclusæ, quos extractos fuisse aiunt, postquam Tur-  
 ca Aegyptum Sultano ademit: Bacha autem à Tur-  
 carum Imperatore huic regioni præfectum, ea arbu-  
 sta digna existimasse, quæ peculiari loco concluderen-  
 tur. Cum istic essemus, nouem, aut decem duntaxat  
 frutices eius aderant, qui nullum liquorem prabe-  
 bant. Inter notas à ueteribus proditas, quibus balsa-  
 mum dignosci possit, vna est, vt perpetuo vireat: illud ta-  
 men in Materea, apud Cayrum, pauca admodum folia  
 Septembri mense habebat: quod nobis insolens visum  
 est. Nam reliquæ arbores, quæ hyeme virere solent, fo-  
 lia solum nouo uere abijciunt, cum videlicet noua ger-  
 mina produxerunt: solentque autumnno magis virere,  
 quam nouo vere. At reliquæ, quæ folia abijciunt, id sub  
 hyemem facere solent, vt æstate noua adquirant. Ideo-  
 que nobis præter naturam videbatur, balsamum folia  
 abijcere,

sup

## D E B A L I S A M O

abijcere, ut hyeme noua germina produceret: nobis enim id obseruantibus, quæcumq; habuit folia, recens nata erant. Eius iustam magnitudinem tradere nequimus; nam quotquot eius frutices in horto aderant, stipitem solum habebant pedis longitudine, & pollicari crassicie, tenuibus ramulis præditum, raris folijs obfitis. Vbicunq; autem tandem nascantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non superant; & pedali altitudine cum sunt, in multos graciles ramulos anserinæ pennæ caule aut crassiores finduntur. Balsami frutices Matareæ iam recens putari fuerant, sic ut foli stipites superessent, qui ramulorum rudimenta producebant. Eiusdem etenim est balsamum cum vitæ naturæ, quam singulis annis putare necesse est, alioqui degenerat. Noua illa balsami germina sub rubente cortice erant tecta, foliaq; viridia habebant, lentiscinorum foliorum modo formata, hoc vtrinque in neruo nata, ut in rosarum, vel fraxini, vel iuglandis folijs videre est; ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, sicq; constructa erat eorum series, ut postremum foliolum extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina, aut septena inueniuntur, septenarium certe numerum superare vix animaduertimus: extremum autem foliolum reliquis maius est, factum etenim ab illo progressu, reliqua sensim minutiora fiunt, ut in rutæ folijs. Plinius in eius historia Theophrastum per omnia sequutus est, quemadmodum etiam Dioscorides, eiusq; vestigijs insistentes, balsami folia rutæ folijs compararunt: quod ueritati consonum esse deprehendimus. Quoniam autem primum in Matareæ illud exacte non obseruaueramus, denuo illud spectatum inuimus, eiusq; ramulum nacti, ipsum atque illius folia degustauimus, quæ

quæ facultatis non nihil adstrictoriæ esse compërimus, pinguisq; aliquantulum saporis, atque aromatici: ramulorum autem cortex his odoratior est. Gemino cortice præditi sunt ramuli, extimo foris subrubente, qui ut membrana intimum viridem operit. Is gustatus inter Thus, & terebinthi folium sapit, saturiciæ syluestri sapore simili admodum grato, atque digitis tritus cardamomum olet: ipsam lignum candicat, odorisque & saporis expers est, non secus atque aliud inutile lignum. Ipsius virgæ rectæ sunt & graciles, rarisq; foliorum alis sparsim & confuso ordine nascentibus obiectæ, quæ (ut diximus) ternis, quinis, aut septenis foliolis constant. Variæ sunt auctoꝝ, qui de balsamo scripserunt opiniones: & nisi nos ipsi plantã conspexissemus, nihil post illos de eo scribere ausi fuissẽmus; atq; in eam ferè opinionẽ inclinaremus, illud in Hierico planis nunquam cultum fuisse. Quia autem ipsum fruticem vidimus, diligenterq; obseruauimus, de eo tanquam de re quæ diligenti obseruatione digna, disserere libuit. Experientia autem didicimus, lignum illud vulgo xilobalsamum nuncupatum, quod ex fœlici Arabia delatum, à mercatoribus venditur, cum Aegypto quod in Matarea colitur, conuenire: nam deficcatum nostrum balsami ramum cum eo, quod in officinis venale reperitur contulimus, atque omnibus notis respondere, deprehendimus: estq; ex duobus alterum necessarium, aut xilobalsamum & carpobalsamum, quale in officinis venditur, adulterinum esse, aut illud Aegyptium, quod colitur in Matarea orto, legitimumq; balsamum esse censetur. Nam cum in omnibus conueniant, certi que simus idem esse, asserimus, & concludimus id, quod hoc nomine venale reperitur, simile ei esse, quod ab omni antiquitate in usu fuit.

G Balsamum

## DEVBALSAMIO

Balsamum nunc temporis in sola Aegypto colitur apud Cayrum. Et licet Theophrastus in ea opinione sit, id sylvestre & sponte nasci non inueniri: asserere tamen audeamus ab omni aeuo in foelici Arabia fuisse, atque etiam nunc nasci, cuius lignum, & fructus etiam olim ad nos perlanta fuerit cum alijs Arabiae mercibus. Atq; demonstrare uolumus ea non minus cognita fuisse mercatoribus quam reliqua aromata, ut ex medicamentorum, quibus perpetuo iniici solita sunt, compositionibus apparet. An non Mithridates in suum medicamentum intulit? An non in officinis uenalia reperiiebantur? Id ex sola Dioscoridis auctoritate probari potest, qui in sua aetate carpobalsamum adulterari conuenitur. Carpobalsamum (inquit) adulteratur semine hyperico simili, quod à petra oppido defertur: per petram oppidum Mecam intelligimus, atque de xilobalsamo: è ligni genere, quod xilobalsamum uocant, probatur recens, sarmento tenui, fuluum odoratum quatenus opobalsamum spirans. Ex his liquido apparet vulgaris usus inter reliqua aromata fuisse. Sed & ex Diodori Siculi uetustissimi scriptoris Arabiae foelicis opes enumerantis uerbis manifestò liquet. Maritimis enim locis balsamum producere ait. Cultum igitur id esse non intelligit, sed sponte nascens. Pausanias etiam tradit balsamum Arabiae fruticem esse. Plerique tamen auctores de balsamo agentes inter se non conueniunt: Nam Strabo prodit in Syria nasci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum & Antilibanum. Reliqui uolunt solà Iudaeam regionem id producere, eiusq; ramos osseo cultro aut vitro duntaxat vulnerandos esse ad liquorem eliciendum; alioqui si ferro cadantur, statim emori. Cornelius Tacitus scribit, ferro iuxta adposito metu exhorrescere, idcir-

eo alijs quàm ferreis instrumentis vulnerandum, si li-  
 quorem elicere quis cupiat. Percontantes à mercato-  
 ribus Cayri de balsamo, cum nostrum ramulum con-  
 ferremus, nobis affirmarunt, quidquid xilobalsami,  
 uel carpobalsami vnquam uendidissent, id omne ex Me-  
 ca cum alijs aromatibus accepisse; atque meminisse suo  
 tempore balsami frutices, qui nunc in Matarea co-  
 luntur, ex Arabia foelici delatos esse, magnis  
 sumptibus Sultani. Quoniam uero id no-  
 bis tam multi affirmarunt, existima

uimus sine vllò scrupulo  
 aut dissimulatione  
 nobis licere id  
 scribe-  
 re.

Lays Deo Opt. Max.

F I N I S.





INDEX OMNIVM  
CAPITVM QVAE IN  
HOC LIBRO  
CONTINENTVR.



**D**E balsami planta, succo, fructibus, & vir-  
gis esse loquendum. Cap. I. fol. 1.  
An balsami planta, eiusq; succus, fructus ac  
virga nunc reperiantur, & quibus in locis proue-  
niant. Cap. II. 2.  
Plantae, quae ab antiquis Arabiae medicis balesan, à  
Graecis βαλεσανον, & à latinis balsamum vocabatur,  
fructuum succiq; descriptio. Cap. III. 9.  
Veri opobalsami cognitio unde sumatur, & qui ex  
antiquis verè hunc succum litteris prodiderint.  
Cap. IIII. 13.  
De

De notis, quibus verum opobalsamum à non vero syn-  
cerum ab adulterato tuto cognoscitur, ac discernitur.

Cap. V.

15.

Veri carpobalsami, & xilobalsami cognitio, & consi-  
deratio. Cap. VI.

19.

Cur Petri Bellonij obseruationes in Ægypto circa balsa-  
mi plantam facta hic adnotatae sint. Cap. VII.  
fol.

23.

Ægyptij balsami obseruatio ex Petro Bellonio in libro  
II. itinerariarum obseruationum, capite XXXIX.  
collecta. Cap. VIII.

24.

F I N I S.





OPUSCULUM  
DE  
MORBO

Exemplum  
Medicorum  
ordinis decreti  
maiorum in arte  
consequenda, ad  
premiis publicis  
da

1717

